6

COMMENTATIO
DE FONTIBUS,
QUIBUS

SOCRATES, SOZOMENUS
AC
THEODORETUS

IN SCRIBENDA HISTORIA SACRA USI SUNT,

ADIUNCTA EORUM EPICRISI,

SCRIPTA A

FRIDERICO AUGUSTO HOLZHAUSEN,

REGII SEMINARII PHILOLOGICI ATQUE SOCIETATIS THEOLOGICAE SODALE.

Τὸ καλὸν, ἔνθα ἂν ᾖ, ἴδιον τῆς ἀληθείας ἐστί.
SOCRATES.

COMMENTATIO D. IV. IUN. A. MDCCCXXV A VEN. THEOLOGORUM ORDINE PRAEMIO REGIO ORNATA.

GOTTINGAE

APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.

MDCCCXXV.

Iudicium, ab Ordine Theologorum S. V. de hac commentatione latum, est hocce: „Auctor quaestionem propositam ita tractavit, tantum iudicii in solvendo illius nodo, tantum acuminis in seligendis iis, quae ad caput causae pertinebant, et tantum etiam prudentiae in distribuendo et disponendo erudito, quem sibi paraverat, apparatu ostendit, ut maturi fere et longiori usu exercitati Critici operam, iudicio nostro submissam, miraremur.“

VIRO SUMME VENERANDO

THEOPHILO IACOBO PLANCK

ORDINIS GUELPHICI EQUITI
THEOLOGIAE DOCTORI EIUSQUE IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
PROFESSORI PRIMARIO
BRITANNIARUM HANNOVERAEQUE REGI A CONSILIIS
ECCLESIASTICIS
ECCLESIARUMQUE PRINCIPATUS GOTTINGENSIS
SUPERINTENDENTI GENERALI ETC.

HUNC LIBELLUM

ANIMO PIO GRATOQUE

DEDICAT

AUCTOR.

nil tamen nisi prima rudimenta ediderunt. Quae parvi admodum sunt momenti, quandoquidem pauca tantummodo eorum fragmenta aetatem tulere. Eusebius Pamphili, qui haud immerito pater et conditor historiae ecclesiasticae dicitur, primus rerum Christianarum e multifariis, summo studio undique congestis, atque multa diligentia pertractatis fontibus haustam concinnavit historiam. Eandem, quam Eusebius munierat, viam ingressi sunt qui eum exceperunt scriptores. Inter quos Socrates, Sozomenus et Theodoretus, quorum fontes nobis iam enumerandi atque examinandi sunt, primum locum tuentur. De Eusebii quidem fontibus commentationem a Kestnero, viro doctissimo, nunc beato, tractatam laudeque coronatam video. Hancce vero de Socratis, Sozomeni et Theodoreti fontibus quaestionem, tanquam illius continuationem, tractandam nos aggrediamur. Cui an par sim, quippe qui e Philologorum scholis modo egressus ad rerum divinarum studia animum vixdum appulerim, dubito.

Antequam vero ad ipsam illam quaestionem nos accingamus, quam paucissimis et de historica Socratis, Sozomeni ac Theodoreti indole monendum, et quemlibet eorum seorsim scripsisse, neque alium alios expilasse, probandum est. Etenim si eorum indolem historicam perspectam habeas, e cuiusmodi potissimum fontibus, et quomodo ex iis hauserint, mente coniicies, coniectumque per singula confirmabis facilius. Huc accedit, quod multa sua aetate gesta, non ex aliis fontibus hausta, sed quorum ipsi primi existunt auctores, tradiderint. Cum vero non de Socratis, Sozomeni atque Theodoreti fide historica, sed de fontium tantummodo integritate et auctoritate nobis agendum sit, quanti illarum rerum, quae eorum praecipue auc-

toritate nituntur, fides habenda sit, ex iis, quae a nobis de illorum indole historica disputabuntur, in universum saltem colligi poterunt. Iam vero cum et Socrates, et Sozomenus, et Theodoretus eiusdem fere temporis res in ecclesia gestas memoriae prodiderint, num quilibet eorum seorsim, e primitivis fontibus hauriens, scripserit, an alius aliorum libros spoliaverit, in promtu est quaestio. Quae quidem quaestio, quam a viris doctis iam pridem motam video, a nobis ideo prius excutienda est, siquidem ab ea thematis nostri ratio atque conditio unice pendet. Nam si Socrates tantummodo, quod vulgo statuitur, ex ipsis fontibus hausisset, Sozomenus autem et Theodoretus, alia addentes, alia immutantes, nil essent nisi eius compilatores, in huiusce solius fontes inquirere profecto sufficeret.

De historica Socratis, Sozomeni ac Theodoreti indole.

Plura sunt, quae ecclesiasticis historicis Eusebium subsequentibus iure meritoque vitio vertantur. Etenim istos auctores a perfecta historiae ecclesiasticae tractandae ratione abfuisse longissime, viri docti ad unum omnes consentiunt [1]). Quae per saeculum quartum quintumque ecclesiam vexabant rixae atque dissidia, ea scilicet copiosius exposita inveniuntur. Ita tamen, ut catholicae, quae dicitur, ecclesiae placita nimium quantum extollantur, diversam vero fi-

---

[1]) *Plancks Einleitung in die theol. Wissenschaften. Th. 2. S. 227. — Semlers Versuch die Kirchenhistorie der ersten Jahrhunderte aufzuklären. S. 14. u. f.*

dem profitentes sectae invidiose damnentur. Melius haud dubie de ecclesiasticae historiae illius temporis veritate actum esset, si non solum catholicae fidei sectatores, verum etiam partium adversariarum asseclas auctores haberet. Utinam igitur ecclesiastica historia, quam Philostorgius Arianus scripsit, integra ad nos pervenisset. Quanquam neque hic a nimio suae partis studio liber est, sed in catholicae ecclesiae doctores et dogmata insolentius invehitur. Attamen de eadem re diversarum partium auctores audire praestat. Nam calumniis, quas mutuum odium excitavit, utrinque detersis, veritas eo clarior exsplendescit. Verum enimvero Catholici, qui ab haeretico homine sibi maledici aegrius ferebant, in Philostorgii historiam delendam conspirarunt. Ideoque factum est, ut illius nil supersit nisi tenue admodum argumentum, a Photio expositum. Tum vero quomodo inde a Constantino Magno ecclesiae conditio erga civitatem Romanam evaserit laetior, interior eius immutata sit gubernatio, et complures ecclesiae in unum corpus coaluerint; quomodo porro religionem Christianam sive ulterius propagaverint, sive maiori externi cultus splendore ornaverint; quomodo denique non solum excultioris ingenii homines, verum etiam tota Christianorum multitudo illam perspectam atque cognitam habuerit: ea omnia partim omissa, partim obiter tantum tacta deprehendes. Cui accedit rerum mirabilium vana, ne gravius quid dicam, credulitas. Enimvero non solum quae martyres incredibiliter perpessi fuerint, sed monachorum quoque, quorum disciplina tum maxime florebat, mirabiliter perpetrata ab istis scriptoribus sine ullo vera investigandi et diiudicandi studio historiae intexebantur. Quibus vitiis deinceps enumeratis et Socrates, et Sozomenus, et Theodoretus adspersi sunt plus minusve. Quod iam in singulis videamus accuratius.

Socrates Constantinopoli natus et educatus [2]) sub Theodosii secundi imperio vitam agebat [3]). Praeceptores nactus est Helladium atque Ammonium grammaticos [4]), qui Alexandriae, ubi tum temporis summum litterarum studium vigebat, doctrina comparata, dehinc Constantinopolin profugi Socrati haud dubie ingenuarum artium, quas illo tempore grammatici tradebant, egregiam praebuere facultatem. Socratem postea Constantinopoli rebus forensibus operam dedisse, probabilis est virorum doctorum coniectura. Nam quod gerebat cognomen Scholastici iis tantum inditum fuisse, qui, rhetorum scholis relictis, causidicos sese profiterentur, commode monetur [5]). Quod quanquam ab aliis addubitatum [6]), neque aliquo loco, sive in Socratis historia ecclesiastica, sive alibi obvio, diserte probatum video, ex libere tamen atque severe dictis [7]), quibus episcoporum delicta perstringuntur, auctorem theologum certe haud fuisse, quod iam sufficit resciscere, (nam non est nostri instituti de Socratis vita omnino, sed de iis solum exponere, quae ad eius ingenium atque indolem historicam spectant) suspicari licet. Haec enim potissimum res in causa fuit, quod in diiudicandis Christianae doctrinae dogmatis non caeco furore ferretur, sed

---

2) Lib. V. c. 24. Ἐγὼ δὲ ἐν τῇ Κωνσταντίνου πόλει τὰς διατριβὰς ποιούμενος, ἐν ᾗ ἐτέχθην τε καὶ ἀνετράφην κ. τ. λ.

3) Lib. VI. c. 11. Θεοδόσιον τὸν νῦν εὐτυχῶς βασιλεύοντα.

4) Lib. V. c. 16.

5) Valesii vita Socr. — Hankius De Romanarum rerum scriptoribus pag. 178.

6) *Hamberger Zuverl. Nachr. Th.* 3. *S.* 140.

7) Lib. 1. c. 24. Τοῦτο δὲ ἐπὶ πάντων εἰώθασι τῶν καθαιρουμένων ποιεῖν οἱ ἐπίσκοποι, κατηγοροῦντες μὲν καὶ ἀσεβεῖν λέγοντες, τὰς δὲ αἰτίας τῆς ἀσεβείας οὐ προστιθέντες.

6

COMMENTATIO

DE FONTIBUS,

QUIBUS

SOCRATES, SOZOMENUS

AC

THEODORETUS

IN SCRIBENDA HISTORIA SACRA USI SUNT,

ADIUNCTA EORUM EPICRISI,

SCRIPTA A

FRIDERICO AUGUSTO HOLZHAUSEN,

REGII SEMINARII PHILOLOGICI ATQUE SOCIETATIS THEOLOGICAE SODALE.

Τὸ καλὸν, ἔνθα ἂν ᾖ, ἴδιον τῆς ἀληθείας ἐστί.

SOCRATES.

COMMENTATIO D. IV. IUN. A. MDCCCXXV A VEN. THEOLOGORUM ORDINE PRAEMIO REGIO ORNATA.

GOTTINGAE

APUD VANDENHOECK ET RUPRECHT.

MDCCCXXV.

temporibus, quorum memoriam Socrates prodidit, istae rixae totam ecclesiam turbarent, quodammodo excusetur. Quod vero solitariorum hominum nugas et rerum incredibilium futilitates et ipse pro veris habuit, et aliis pro veris habendis tradidit, id sane excusabit nemo.

Sozomeni parentes quinam fuerint non constat. Avum ipse commemorat auctor [22]. Qui vir e Bethelia, Gazaeorum vico, oriundus cum tota sua domo simulque cum Alaphionis, fratris sui, familia primus in illo vico Christianam religionem amplexatus est. Atque praeter alias scientias magnam postea sibi comparavit sacrae scripturae doctrinam. Alaphionis vero familiam, quae primas Betheliae ecclesias atque monasteria exstruxisset, Sozomenus magnis effert laudibus. Quid, quod eiusdem familiae viris monachis adolescens usus est familiariter [23]. Hinc monachicae vanitatis vestigia, quae Sozomeni ingenio alte inhaerent, repetenda videntur. Quae quidem vestigia semel impressa, quanquam posthac auctor diversum plane vivendi genus, causidici [24]) scilicet munere Constantinopoli functus, sectaretur,

---

ὅπως ἄν μὴ ἀφανῆ γένηται τὰ κατὰ τὰς ἐκκλησίας γενόμενα. Cf. Lib. V. c. 22.

22) Lib. V. c. 15.

23) Quos l. l. ἀγαθοὺς ἄνδρας dicit, qui ex Alaphionis familia usque ad suam aetatem fuerint superstites, et quibuscum consuetudinem habuerit adolescens, procul dubio intelligit Salamanem, Phusconem, Malchionem et Chrispionem, qui Hilarione duce, a quo Alaphion morbo liberatus ad Christianam religionem adactus fuerat, monasteria haud procul a vico Bethelia incolebant. Cf. Lib. VI. cap. 32.

24) Lib. II. c. 3.

obliterari tamen non potuisse, ipsiusmet historiae ecclesiasticae libri abunde testantur. Ideoque summum sibi putat officium esse iniunctum hoc, ut monachorum acta vitasque celebret aliisque imitanda proponat[25]). Cui officio tam strenue satisfecit[26]), ut haec potissimum res culpam habeat, cur Sozomenus multo magis quam Socrates a perfecti historici scopo recesserit.

Id etiam reprehensionem meretur, quod Sozomenus dubiae incertaeque famae nimium confisus est. Istud *λέγεται*, *φάσι*, *λόγος ἔστιν*, *ὡς ἐπυθόμην*, *ὡς παρείληφα* aliaeque eiusmodi dictiones sexcenties apud eum leguntur. Ecquis vero est, qui tam vagis incertisque traditionibus, nisi aliunde confirmentur, ullam auctoritatem tribuat? Neque Sozomenus accuratius exponendo a quibus, cuiusque ingenii hominibus, rem acceperit, famam corroborare studet, nisi tum, cum ipsius rei incredibilitas omnem narrantium fidem tollit[27]). Ex hoc profecto auctoris, qui, ne

---

25) Lib. I. c. 1. Οὐκ *ἀνοίκειον εἶναι ἔδοξε τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας ἐν τῇδε τῇ πραγματείᾳ διεξελθεῖν, καὶ τίνες ποτὲ ἦσαν οἱ ὥσπερ πατέρες καὶ εἰςηγηταὶ γενόμενοι τῶν καλουμένων μοναχῶν, καὶ οἱ μετ' αὐτοὺς κατὰ διαδοχὰς, ὧν ἴσμεν καὶ ἀκηκόαμεν, εὐδοκιμήσαντες.* Οὔτε *γὰρ ἀχάριστοι δόξομεν εἶναι πρὸς αὐτοὺς, ἀμνηστίᾳ παραδεδωκότες τὴν αὐτῶν ἀρετήν, οὔτε ἀπείρως ἔχειν τὴν κατ' αὐτοὺς ἱστορίαν.* Μετὰ *τοῦ καὶ τοῖς προηρημένοις ὧδε φιλοσοφεῖν ὑπόδειγμα καταλιπεῖν ἀγωγῆς, ᾗ χρώμενοι μακαριωτάτου καὶ εὐδαίμονος μεθέξουσι τέλους.*

26) Vanum vitae monachicae laudatorem, uti ubicunque, ita potissimum sese ostendit auctor Lib. I. c. 12., cuius loci argumentum copiosius expositum invenies in *Schröckhs Christl. Kirchengesch. Th.* 7. *S.* 201.

27) Lib. I. c. 14. Ammonis animam in coelum assurgentem ipsissimis oculis spectasse Antonium narrans addit: *Καὶ τὰ μὲν ὧδε ἱστόρηται*

mirabilia apud posteros incognita et explosa iacerent, omnem operam adhibet, superstitiosum elucet ingenium. Cuius quidem superstitionis, animo Sozomeni altissime insidentis, certissimum indicium hoc est, quod esse haud procul tradit a Constantinopoli locum, Michaëlium propterea dictum, quoniam angelus Michaël ibi comparere morboque affectos sanare soleat. Neque, pergit auctor ut rem incredibilem extra omnem dubitationem ponat, alios solum multos salutem illo loco recuperasse, sed semet ipsum quoque idem expertum esse [28]. Cuiusmodi exempla quanquam plurima sint ubique obvia, ea tamen deinceps enumerare neque animus est, neque operae pretium habet. Sic porro Sozomeni ingenium nescio quid arcani redolet. Symbolum fidei Nicaenae expositurus en quid dicat auctor [29]: *Ἵνα δὲ καὶ εἰς τὸν ἑξῆς χρόνον βέβαιον καὶ δῆλον τοῖς ἐσομένοις ὑπάρχῃ τὸ σύμβολον τῆς τότε συναρεσάσης πίστεως, ἀναγκαῖον ᾠήθην εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἀληθείας αὐτὴν τὴν περὶ τούτων γραφὴν παραθέσθαι. Εὐσεβῶν δὲ καὶ φιλῶν καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπιστημόνων οἷα δὲ μύσταις καὶ μυσταγωγοῖς μόνοις δέοντα λέγειν καὶ ἀκούειν ὑφηγουμένων, ἐπῄνεσα τὴν βουλήν. Οὐ γὰρ ἀπεικὸς καὶ τῶν ἀμυήτων τινὰς τῇδε τῇ βίβλῳ ἐντυχεῖν.* Quam ob causam symboli partem tantummodo adscribit, ea diligenter reticens, quae ad sanctam Trinitatem spectant [30].

παρὰ τῶν Ἀντωνίῳ καὶ Ἄμμωνι συγγενομένων. Alia eiusmodi exempla, si iuvat evolvere, invenies Lib. II. c. 1. Lib. IV. c. 3. 16. Lib. V. c. 2. 10. 22. Lib. VII. c. 26.

28) Lib. II. c. 3.

29) Lib. I. c. 20. cf. Walchii H. E. Nov. Test. pag. 1642.

30) Lib. VIII. c. 5. de muliere e secta Macedonianorum fidem catholicam simulante dicit: *Περὶ δὲ τὸν καιρὸν τῶν μυστηρίων (ἴσασι δὲ οἱ μεμυημένοι ὃ λέγω) ἡ μὲν ὅπερ ἐδέξατο κατέχουσα ὡς εὐξαμένη ἀπέκτυψε· παρεστῶσα δὲ αὐτῇ ἡ θεράπαινα λά-*

Iudicium Sozomeni infirmum parumque subactum ex eo maximé prodit, quod ubi plures de aliqua re sunt rumores, suam ipsius sententiam sive prorsus nullam, sive ridiculam plerumque interponit [31]). Eo etiam turpissime sese dedit auctor, quod oraculis, quae Sybillae nomine feruntur, vanissimis omnem fidem tribuit [32]). Quod si igitur Sozomenum veritatis studium inge-

θρα δέδωκεν ὅ μετὰ χεῖρος ἦλθε φέρουσα. Τὸ δὲ πρὸς τοῖς ὀδοῦσι λίθος ἐπήγνυτο. Lib. VIII. c. 21. quo loco de militibus loquitur, qui, Ioannis episcopi fautores ex ecclesia pulsuri, in eos impetum fecerunt baptismi sacramentum peragentes, Ἀπροόπτου δὲ, ait, τούτου συμβάντος, πολὺς περὶ τὸ βαπτιστήριον ἐγένετο θόρυβος, γυναίων μὲν μετ' οἰμωγῆς ταραττομένων, παιδίων δὲ κλαιόντων, ἱερέων δὲ καὶ διακόνων τυπτομένων τε καὶ πρὸς βίαν ὡς εἶχον σχήματος ἐλαυνομένων· τ' ἄλλα δὲ οἷα εἰκὸς ἦν γενέσθαι ἐν ἀταξίᾳ τοσαυτῇ οἱ μυηθέντες οὐκ ἀγνοοῦσιν, ἐγὼ δὲ ἀναγκαίως σιγήσομαι, μὴ καὶ ἀμύητός τις ἐντύχῃ τῇ γραφῇ. Quae quidem verba Sozomeni illinc haud dubie fluxerunt, quod isto tempore mysteriorum gentilium nebulas Christianae quoque religioni offundere consueverant. Cyrillus Catech. VI. num. 29. „Neque gentili cuiquam de Patre et Filio et Spiritu sancto arcana mysteria declaramus, neque palam apud catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa saepe loquimur occulte, ut fideles, qui rem tenent, intelligant, et qui non tenent ne laedantur.“ Cuiusmodi vero arcanae tectaeque cogitationes neminem magis dedecent quam historicum.

31) Sic Lib. VI. c. 2. Iuliano morituro Christum apparuisse non ideo suspectam habet rem, quia per se est incredibilis, sed quoniam οὐ πολλῶν ὅδε ὁ λόγος, tanquam testimonia numerentur, neque potius ponderentur. Alia eiusmodi exempla, si eorum interest, facile invenies.

32) Lib. I. c. 1. Lib. II. c. 1.

nue profitentem [33]) audimus, eum handquaquam fraudis reum facimus. Sed aliud est veritatem profiteri, aliud veritatem assequi. Quippe Sozomenus nobis talis videtur, cui ingenium historico indoneum invisum est. Nam monachica disciplina, quae adolescentem informandum acceperat, superstitio porro arcana auctoris animum tanta caligine obductum tenebant, ut, a natura parum felici ingenio dotatus, raro tantum ad veritatem puram sudamque assurgeret. Quibus expositis iudices, quaeso, quanti sit aestimanda eorum sententia, qui multo praestantiorem Sozomeni quam Socratis ecclesiasticam iudicant historiam [34]).

Ceterum in adscribendis actis originalibus, quae dicuntur, quorum argumenta plerumque exponit, est parcissimus. Cuius parcitatis causam studium brevitatis praetexuit [35]). Audienda foret haecce causa, nisi imprudenter prorsus brevitati prospexisset. Nam si Sozomenus, quantum fieri potuit, acta originalia ad verbum perscripta nobis tradidisset, uti tradidere Socrates ac Theodoretus, magno fructu opus suum exornasset. Quod vero pueriles de solitariis hominibus narratiunculas cumulando historiam suam diffusam reddidit, id fecit pessime. Quos denique viros doctos Sozomeni orationi Xenophontis elegantiam, quem auctorem sibi imitandum proposuerit, tribuere video, ii maximopere falluntur. Sermo enim Sozomeni, fucum videlicet inanemque splendorem, cuius oratio ad Theodosium, quae histo-

33) Lib. I. c. 1. Πάντα δεύτερα ποιεῖσθαι τῆς ἀληθείας τὸν συγγραφέα προσήκει.

34) Montfaucon praef. ad Opera Athanasii tom. I. pag. XLIII.

35) Lib. I. c. 1. —— ἄμεινον ἐδοκίμασα διὰ τὸν ὄγκον τῆς πραγματείας τὴν ἐν αὐτοῖς διάνοιαν συντόμως ἀπαγγεῖλαι.

riam orditur, indicium est certissimum, sectantis, ne adspirat quidem ad Attici auctoris florem iucundissimum.

Theodoretus, Socratis atque Sozomeni aequalis, et adolescentiam, et senectutem in monasterio transegit, monachorum consuetudine unice gavisus. Cum ei contigissent Ioannes Chrysostomus et Theodorus Mopsvestenus praeceptores, tantam sibi comparavit doctrinam, ut inter primos suae aetatis theologos referretur. Ideoque ad episcopatum Cyri urbis evectus est [36]. Quod si vero Socrates iurisconsultus dogmatum varietates benignius ferebat, id apud Theodoretum episcopum invenitur contrarium. Nam in ipso statim historiae ecclesiasticae exordio Arianam haeresin a diabolo, isto Christianae religioni infestissimo, in ecclesia, sive malueris in auctoris ipsius pectore, tumultuante ortam inducit [37]. Quanto odio omnes haereses persequutus sit, locus epistolae octogesimae primae testatur: „Octo vicos Marciani haeresi infectos aeque ac locos vicinos ad veritatem volentes perduxi. Vicum alium Eunomianis, alium Aria-

---

36) Theodoreti vitam, quam uberius exponere nobis haud licet, si cuius intersit accuratius cognoscere, eum relegamus ad eiusdem vitam, quam docte composuit Schulze in edit. Oper. Theod. tom. I.

37) Sic Arianos aliis etiam locis opprobriis insectatur. Lib. IV. c. 37. eos nominat τῷ ψεύδει συντεθραμμένους καὶ τὰς συκοφαντίας μάλα ῥᾳδιως ὑφαίνοντας. Pariter erga Iulianum ceteris multo est austerior. A Iuliano ad Iovianum transiturus haec dicit: Ἐγὼ δὲ τὴν ἐπὶ τῇ τελευτῇ τοῦ τυράννου χορείαν τέλος ἐπιθήσω τῇ συγγραφῇ. Οὐ γὰρ ὅσιον ὑπέλαβον εὐσεβεῖ συνάψαι βασιλείᾳ τὴν δυςσεβῆ δυναστείαν. Quod Theodoreti erga aliter sentientes odium quodammodo compensatur moderatione atque tranquillitate, qua erga Cyrillum sibi inimicissimum usus est. Cf. *Flügge Gesch. der. theol. Wissensch. Th. 2. S.* 330.

nis refertum, ad divinae cognitionis lucem adduxi, nullumque apud nos dei gratia superest haereticorum lolium. Non sine periculis autem haec praestiti, sed effuso saepius sanguine meo, haud raro lapidibus petitus, et quasi ad ipsas inferni portas delatus.“ Quod Theodoreti erga catholicam ecclesiam studium ferremus aequius, nisi in historiam etiam ecclesiasticam permanasset [38].

Gratulari sane debemus Theodoreti historiae ecclesiasticae, quod solitariorum hominum vitae mirabiliterque acta, quae sibi in peculiari libello, *φιλόθεος ἱστορία* [39] inscripto, enarranda reposuit auctor, ab ea exulant. Quo enim monachicae vanitatis progredi a se impetrarit theologus, quod mirabere, suae aetatis princeps, libellus modo commemoratus aperte docet. De stilo Theodoreti quod sentit Tillemont [40]: „On marque, qu'il

[38]) Lib. V. c. 34. *Χρῆναι νομίζω συστέλλειν τὰ σκυθρωπά, καὶ τῶν δεδρακότων ὁμοπίστων ὄντων συγκαλύπτειν τὰ πλημμελήματα.*

[39]) De hoc libello *Schröckh Christl. Kirchengesch. Th.* 2. *S.* 100. ita: „*Diese Geschichte ist von Anfang bis zu Ende beinahe unausstehlich, weil sie nichts als Seltsamkeiten und ausserordentliche Thaten solcher schwindlichter Köpfe, die ihre Gottseligkeit darein setzten, ganz anders zu leben als andere Christen, oder so viel an ihnen war gar nicht zu leben, mit Wohlgefallen und Bewunderung und ohne alle Prüfung berichtet. Da giebt es einen Einsiedler, der ein krankes Pferd dadurch heilt, dass er es Wasser saufen lässt, worüber das Zeichen des Kreuzes gemacht worden, und ihm den Bauch mit geweihtem Oele bestreicht u. a. m. Ja zuletzt bittet der Verfasser die Heiligen, deren Leben er beschrieben hat, ihn nicht zu verachten, weil er ihrer Tugend bei weiten nicht gleichkomme.*“ Theodoretus lectores saepius ad illum libellum relegat. Lib. I. c. 7. Lib. II. c. 30. Lib. III. c. 24. Lib. IV. c. 25. 27.

[40]) Mémoires ecclés. tom. V. pag. 216.

a même fort bien imité son (Ioannis Chrysostomi) éloquence, ayant eu comme lui un style coulant, plein des pensées, net et facile, et soutenu par cette délicatesse et cette vivacité agréable, que l'on attribue particulièrement aux Athéniens", id non utique improbo, sed quae addit Photius [41]): — — *πλὴν ὅτι ἐνιότε ταῖς μεταφοραῖς παραβόλως καὶ ὥσπερ ἀπειροκάλως ἐχρήσατο*, ea verissime dicta esse, accuratior affirmat lectio.

Quibus expositis perfecti historici laudem neque Socrati, neque Sozomeno, neque Theodoreto deberi quis est qui non intelligat? Attamen Socrates, ut mediocris historicus, ferendus [42]), Theodoretus propter uberrimam actorum originalium collectionem [43]) probandus, Sozomenus vero, qui ab utroque merito aeque absit, minimi eorum aestimandus est. Quae cum ita sint, ad internam praestantiam perfectitatemque, quibus veluti Thucydides aeternitatem gloriae nactus est, a nostris auctoribus ne adspirari quidem per se apparet. Verum enimvero cui aeterna hominum salus, per Christianam summa dei gratia fundata religionem, curae cordique est, is fontes saltem, e quibus accuratiorem de divinae huiusce disciplinae salutifera,

---

41) Cod. 31.

42) *Schröckh Christl. Kirchengesch. Th. 7. S. 200.* „*Dieser Schriftsteller hatte gewiss alle Anlage zu einem guten Geschichtschreiber. Nur haben ihn zwei seiner Zeit eigene Fehler, denen er selbst nicht völlig entgehen konnte, Mangel an Freiheit im Denken und Schreiben und Leichtgläubigkeit gegen alle Erzählungen von Wundern, verhindert es wirklich zu werden.*"

43) Quod acta originalia addiderit narrationi diligenter, optimam ipse auctor affert causam Lib. I. c. 3, — — *ἵνα μαρτυρῶσι τῇ ἀληθείᾳ τῆς συγγραφῆς καὶ σαφέστερον τὰ γεγενημένα διδάσκωσιν.*

quam in hominum sanctitatem exseruerit, ei notitiam hauriat, uberes nec raro limpidos ex illis scriptoribus fluere intimo pectore gaudebit. Hinc profecto, ut in illos fontes inquiratur diligentius, operae pretium iudico.

Et Socratem, et Sozomenum, et Theodoretum seorsim scripsisse, neque alium alios expilasse probatur.

Sozomenus potissimum compilationis suspicione premitur. Eum e Socratis historia omittendo, addendo, immutando confecisse suam, inde a Valesio pervulgata est opinio. Quam cum addubitatam [44]) quidem, sed parum a viris doctis examinatam videamus, nobis accuratius exploranda relicta est res. Itaque argumentis, quibus Valesius (nam viri docti, quos sibi consentientes habuit, eadem identidem repetentes nova haud addiderunt) istam opinionem confirmare studuit, diiudicatis atque refutatis, nostram deinde sententiam depromemus. Valesius igitur sub finem vitarum Socratis ac Sozomeni ita disputat: „Superest ut inquiramus uter illorum prior scripserit, et uter ab altero mutuatus, seu potius furatus sit. Certe cum ambo de iisdem rebus paene eadem scripserint, ambo ab eodem principio exorsi ad eandem metam decurrerint, a principatu scilicet Constantini ad XVII consulatum Theodosii iunioris, prorsus necesse est ut alter alterius scrinia compilarit. Verum uter plagiarius sit,

44) Pagi Critic. in Baron. ann. 427. n. XV. — Nath. Lardner The credibility of the gospel history vol. XI. pag. 447.

Socratesne an Sozomenus, difficile est dicere, cum ambo iisdem temporibus vixerint, ambo principatu Theodosii iunioris historiam suam scripserint. Itaque in huiusce quaestionis disceptatione utendum est coniectura. Videamus ergo in quem cadat suspicio furti. Equidem sic existimo, inferiorem plerumque furari a praestantiore et iuniorem a seniori. Atqui Sozomenus meo quidem iudicio longe inferior est Socrate; iunior item quam Socrates ad historiam scribendam se contulit. Scripsit enim cum adhuc esset advocatus. Professio autem advocatorum apud Romanos non perpetua erat, sed temporaria. Denique qui alteri addit aliquid, et qui alterum interdum emendat, is posterior videtur scripsisse. Atqui Sozomenus quaedam interdum addit Socrati, et in aliquibus locis ab eo dissentit. Posterior itaque videtur scripsisse Sozomenus."

Primum igitur argumentum, quo Valesius utitur, hoc est: „Cum ambo de iisdem rebus paene eadem scripserint, ambo ab eodem principio exorsi ad eandem metam decurrerint, a principatu scilicet Constantini ad XVII consulatum Theodosii iunioris, prorsus necesse est, ut alter alterius scrinia compilaverit." Quod primum dicit Valesius Socratem atque Sozomenum de iisdem rebus paene eadem scripsisse, monendum est, aliter salva historiae veritate evenire non posse, quam ut duo, qui easdem res prodiderint memoriae, in plurimis conspirent. Hinc igitur neutiquam sequitur alterum alterius scrinia compilasse, nisi illa conspiratio ita comparata sit, ut quodvis tollat discrimen. Quod tamen ipse negat Valesius, dum Sozomenum modo quaedam Socrati addere, modo eundem emendare, sive potius Sozomenum modo copiosiorem, modo accuratiorem esse Socrate, contendit.

Attamen compluribus locis Socrates ac Sozomenus tam mire inter sese consentiunt, ut id, quod easdem res perscripserunt, ad hunc consensum declarandum haud sufficiat. Hactenus igitur aliquid vidit Valesius. Sed lapsus est vir doctus eo, quod ideo Sozomenum Socratis libros spoliasse censuit statuendum esse. Nam illius consensus causa unice in eo posita est, quod, sicuti infra accuratius videbimus, uterque ex iisdem fontibus hausit. At Valesius Sozomenum sibi visus est deprehendisse verba adeo Socratis suffurantem. Ad Socratis lib. I. c. 10, quo loco Constantinus Magnus memoratur Acesium quoque, Novatianorum episcopum, ad concilium Nicaenum vocasse, haec annotat: „Idem refert Sozomenus libr. I. c. 22, ita tamen, ut satis appareat, eum a Socrate hanc historiam accepisse. Etenim Socrates quidem totam historiam longe uberius et elegantius refert, et postquam eam retulit, ait se illam accepisse ab homine fide digno, qui synodi Nicaenae temporibus vixisset. Sozomenus vero hanc narrationem sic orditur: Λέγεται καὶ τὸν βασίλεα κ. τ. λ. nec eam ullius testimonio confirmat. Adde quod Sozomenus ipsa quoque verba Socratis quodammodo suffuratur, immutans aliquantulum atque interpolans, ut solent plagiarii.“ Socratem illam narratiunculam longe uberius et elegantius retulisse quam Sozomenum, ita ut hic illum brevius et tenuius excerpsisset, equidem non video. Nam uterque eadem fere narrat aeque eleganter, si omnino isti narratiunculae elegantiam tribuas. Pergit Valesius, Socratem auctorem rei afferre fide dignum; at Sozomenus quoque rei testem, famam scilicet, laudat. Probandum igitur utique erat Valesio, famam illius rei fuisse nullam. Quod cum non probavit, quonam tandem modo statuere potuit, Sozomenum illam narrationem e Socrate neque potius e fama hausisse? Cum enim

Acesius Novatianorum episcopus Constantinopoli esset[45]), quidni, quaeso, illius rei fama in hac ipsa urbe, in qua Sozomenus degebat, perdurare potuit, usque dum auctor eam comperiret suaeque historiae intexeret? Si denique Sozomenus Socratis verba suffuratus esse accusatur, iniqua haec est criminatio. Si enim, quod vult Valesius, in hac minutissima narratione alia immutavit, alia interpolavit, quot tandem verba restant, quae eum suffuratum esse convincas? Quanquam Valesius in Commentariis de Socratis Sozomenique historia idem hoc compluribus locis probatum ivit, ceteris tamen, cum ita comparata sint, quae facili negotio refutari queant, refutandis immorari noluimus, ne per ambages disputatio vagetur.

Porro ait Valesius, cum ambo ab eodem principio exorsi ad eandem metam decurrerint, a principatu scilicet Constantini ad XVII. consulatum Theodosii iunioris, prorsus necessarium esse, ut alter alterius scrinia compilaverit. Sozomenus a Constantino quidem pariter ac Socrates historiam ecclesiasticam orditur, neutiquam tamen propterea, quod eum ducem sequutus sit. Sed ambo historici unice ob hanc causam ab eodem principio progressi sunt, quod, sicuti uterque in primo historiae suae limine disertis verbis profitetur, ubi Eusebius desierat, inde initium caperent. Porro eundem etiam utriusque historiae ecclesiasticae Valesius statuit finem. Qua tamen in re inconsiderantia lapsus est. Nam Socrates quidem, quod in fine ipse dicit, historiam suam usque ad XVII. consulatum Theodosii iunioris, sive usque ad annum 439 extendit, Sozomenus vero haud ulterius progressus quam ad mortem Honorii, quae accidit anno 423[46]).

---

[45]) Socrates lib. II. c. 38. — Sozomenus lib. II. c. 32.

[46]) Sozomenus in dedicatione ad Theodosium promittit quidem, sese

Iam ad secundum argumentum, quo Valesius Sozomenum furti convincere conatus est, accedamus. „Equidem sic existimo, inferiorem pleramque furari a praestantiore, et iuniorem a seniore. Atqui Sozomenus meo iudicio longe inferior est Socrate, iunior item ad historiam scribendam se contulit. Scripsit enim cum adhuc esset advocatus. Professio autem advocatorum apud Romanos non perpetua erat, sed temporaria." Sozomenum inferiorem esse historicum Socrate, nostra quoque sententia est. Eum vero ideo, quod inferior est Socrate, huncce spoliasse, parum consentaneum videtur. Quidni potius, si lubet coniecturare, eo ipso, quod Sozomenns multis mendis laboraret, Socrates ad perfectioris historiae conscribendae consilium perduci potuit [47]? Tum Sozomenum causidicum suam historiam concinnasse [48], hoc etiam concedimus. Sed Socratem abiecta demum causidicina ad historiam ecclesiasticam animum applicuisse, a Valesio probandum desideratur. Sed quid omnino sibi vult hoc argumentum? Nam profecto non desunt exempla, quibus seniores quoque a iunioribus, aeque ac iuniores a senioribus, furatos esse probari possit.

---

historiam ecclesiasticam usque ad XVII. eius consulatum perducturum esse, sed huic promisso non stetit. Nam ii neutiquam audiendi sunt, qui postremam Sozomeni historiae partem coniiciunt deperditam esse. Cf. Fabricii Bibl. graeca ed. Harles tom. VII. p. 427.

47) Hoc iam monuit *Flügge Gesch. der theol. Wissensch. Th.* 2. *S.* 328.

48) Quod ex ipsissimis auctoris verbis patet. Lib. II. c. 3. *Οἷα δὲ Ἀκυλίνῳ ὕπηρξεν, ἀνδρὶ εἰς ἔτι νῦν ἡμῖν συνδιατρίβοντι, καὶ ἐν τοῖς αὐτοῖς δικαστηρίοις δίκας ἀγορεύοντι κ. τ. λ.*

Restat tertium Valesii argumentum refutandum. „Qui alteri aliquid addit, et qui alterum interdum emendat, is posterior videtur scripsisse. Atqui Sozomenus quaedam interdum addit Socrati, et in aliquibus locis ab eo dissentit. Posterior igitur videtur scripsisse Sozomenus.“ Sozomenum copiosius res exponere, vel primus oculorum obtutus docet. Nam eiusdem temporis spatium, quod Socrates septem libris complexus est, in novem libros extendit. Quod vero Sozomenus est copiosior, hinc profecto non sequitur eum Socratem adauxisse. Nos quidem Socratis narrationem, ubi est brevior atque obscurior, saepius complere et illustrare possumus e Sozomeno, sed hoc neutiquam ipse fecit auctor. Quodsi Sozomenus Socratem emendasse dicitur, hoc prorsus mirum est. Nam Sozomenus multo plura vitia historica commisit [49]) quam Socrates. Quod nec ipsum Valesium videtur fugisse. Nam cum primum dixisset „qui alterum interdum *emendat*“, postea tamen prudenter dicit „Sozomenus in aliquibus locis *dissentit* a Socrate.“ Attamen quanquam non desunt loca, quibus Sozomenus haud dubie veriora vidit quam Socrates, nos quidem in illis locis emendare possumus Socratem e Sozomeno, sed nequaquam eum ipse emendavit Sozomenus. Quippe eo sibi imponi passus est Valesius, quod, cum et ipse et alii viri docti e Sozomeno Socratem aliquoties illustrarent et corrigerent, id Sozomeno ipsi temere tribueret.

Examinatis igitur et refutatis iis argumentis, quibus Valesius Sozomenum e Socrate suam hausisse historiam sibi probare visus est, nostra argumenta, quibus probabitur contrarium, deinceps exponamus. Quod ante omnia iis asserendum erat, qui

---

[49]) Du Pin Bibl. des Auteurs eccl. tom. III. part. 2. pag. 80.

Sozomenum Socratis plagiatorem iudicarent, eum aliquot saltem annis serius scripsisse, asseruit nemo. Imo potius verisimillimum est, utrumque eodem plane tempore, anno scilicet 440, historiam ecclesiasticam conscribendam aggressum esse. Quod si statuas optime quoque expeditur, quomodo tandem evenire potuerit, ut neuter, quanquam ambo in una eademque urbe uno eodemque munere fungerentur, alterius historiam noverit. An vero alter alterius consilii fuerit conscius nec ne, quanquam equidem potius negaverim, ut rem tamen incompertam in medium relinquam.

Qua quidem re ad aliud argumentum adducimur. Nempe Sozomenum seorsum scripsisse statuendum est porro propterea, quoniam Socratis historiam prorsus ignorat, nec eam alicubi commemorat, quamvis nonnullis saltem locis commemoratam vel maxime desideres. Sic statim in exordio, ubi de consilio atque ratione, quam in historiae ecclesiasticae conscriptione secutus sit, disputat, primo quidem, ait, sibi decretum fuisse hancce historiam ab initio repetere. Cum vero ea, quae inde ab adscensu Christi in coelum usque ad caedem Licinii in ecclesia gesta sunt, ab Eusebio aliisque memoriae prodita invenisset, immutato consilio dehinc demum historiae suae sese fecisse initium. Quod si igitur Sozomenus Socratis historiam idem temporis spatium enarrantem, quod et ipse enarrandum sibi proposuerat, habuisset cognitam, haud dubie omnino tacuisset. Itaque cum illo loco Sozomenus Socratis historiam taceat, hinc eum illam prorsus ignorasse aperte sequitur. At cuius scrinia expilavit consulto hoc loco reticuit nomen. Sed alia sunt loca, quibus Socratis historiam, dummodo ei ad manus fuisset, tecte

saltem haud dubie indigitasset [50]. Locus, quem huc potissimum refero, extat Lib. I. c. 20. quo totum Nicaenum symbolum apponere nefas iudicans auctor superstitiosus eius partem tantummodo apponit, ne fortassis mysterium sanctae Trinitatis in sacramentis catholicae ecclesiae haud initiatis patefiat. Socrates vero totum illud symbolum exponit licenter. Quod si rescivisset Sozomenus, haud dubie obliquam saltem addidisset reprehensionem. Nam profecto non est superstitiosorum tacere, si superstitionem suam ab aliis laesam vident. Sozomenus tamen de hac re ne voculam quidem addidit.

Tum vero etiam plura habet Socrates [51]), quae Sozomenus intacta prorsus reliquit, quod mirum esset, si Socratem expilasset. Atque apud Sozomenum [52]) quoque multa leguntur, quae minime e Socrate, qui ea taceat, sed aliunde tantum haurire potuit. Porro cum Sozomenus asserat, quod actorum origina-

---

50) Sunt sane loca, quibus Socratem a Sozomeno tecte indigitatum esse possis suspicari. Attamen secus est. Sic Socrates libr. VI. c. 15. tradit Ioannem Chrysostomum Eudoxiae Augustae, quae Epiphanium contra sese subornaverit, iratum orationem habuisse, qua omnia mulierum vitia perstrinxisset. Sozomenus libr. VIII. c. 16. idem tradens addit ὥς τινες λέγουσι. Sed sicuti Socrates quae de Ioanne tradit e narrationibus hominum hausit, pariter etiam Sozomenus.

51) Veluti quae Socrates lib. I. c. 24. de Manichaeis habet, Sozomenus ne attigit quidem. Porro quae Socrates sub Theodosio II. in ecclesia gesta exponit, ea plane praetermittit Sozomenus ad res politicas aberrans. Quod ei merito vitio vertitur. *Schröckh Christl. Kirchengesch. Th. 7. S.* 202.

52) Quam Sozomenus lib. II. c. 8 — 16. copiose enarrat Christianorum in Perside persecutionem, eam Socrates plane ignorat.

lium argumenta plerumque exposuerit, id factum esse studio brevitatis, cui tamen ceteroquin tam male prospexit, aliam potius illius rei subesse causam fortassis opinere. Sozomenum nimirum minime propter istud brevitatis studium, quod falso praetexuerit, sed ideo argumenta tantummodo dedisse, quoniam, cum illa acta originalia apud Socratem ad verbum transcripta invenisset, hac opera supersedere voluerit. Hoc vero propterea statui nequit, quoniam tum Sozomenus parum sibi constitisset. Nam complura etiam exhibet scripta originalia, quae eadem a Socrate exhibentur. Sic Socrates libr. II. cap. 37. utramque Ariminensis synodi epistolam et Constantii litteras ad synodum exponit. Sozomenus vero libr. IV. cap. 18. priorem tantum synodi epistolam habet, duarum vero ceterarum argumenta solummodo affert. Si igitur statuas, Sozomenum illarum duarum epistolarum argumenta ea de causa exposuisse, quoniam totas a Socrate expositas invenerit, cur non prioris quoque illius synodi epistolae argumento defunctus est? Porro Sozomenus non solum argumenta scriptorum originalium, sed ipsa quoque scripta originalia adscribit, quae, quod mox accuratius demonstrabimus, apud Socratem non leguntur. Hinc igitur sponte patet, non Socratem, sed alios fuisse fontes, e quibus Sozomenus illa scripta hauriret. Quinam illi fuerint, statim in exordio ipse declarat auctor. Cum denique haud raro aliquam doctrinae speciem affectet [53]), quidni e Socrate, si eum expilavit, crebras de libris scriptoribusque sententias, quibus aliis doctrinae affectatae fucum facere posset facillime, in suam historiam transtulit?

---

[53]) Sic in oratione, qua opus suum Theodosio offert, oratoris ingenium iactat, quod nullum habet. Porro Lib. I. c. 6. praeter rem ad inanem doctrinam ostentandam intexit narrationem de Argonautis.

Sed ultimum atque summum argumentum restat, quo Valesii opinio plane diluitur. Iam supra a nobis monitum est, Socratem ac Sozomenum compluribus locis miro prorsus modo consentire. Cuius consensus quam exposuimus causam, quod scilicet ambo ex iisdem fontibus haurientes, atque omnia fere, quae ibi memorata invenirent, bona fide accipientes eadem quoque tradiderint, id iam nobis probandum est. Sed utrumque ex iisdem fontibus hausisse, historiarum tenor satis declarat. Seorsum ambos illis fontibus usos esse probando rei cardo vertitur. Quippe Socratis et Sozomeni historias in singulas partes, e quibus ab auctoribus compositae sunt, adductis comparatisque fontibus, quantum fieri poterat, disponentes, Sozomenum aeque ac Socratem ex ipsis fontibus hausisse invenimus. Quae in universum diximus, ea singulis exemplis illustremus: Quod Eusebius testimonium narrationis de cruce, quae Constantino contra Maxentium proficiscenti in coelo apparuerit, laudat, se scilicet illam rem ab ipso imperatore, iureiurando eam confirmante, accepisse, idem hoc laudat Sozomenus [54]. Socrates de illo testimonio tacet. Quem vero Socrates ex Eusebio transcripsit locum [55], is non legitur apud Sozomenum. Ex Athanasii porro epistola ad episcopos Aegypti et Libyae locum Sozomenus habet [56], qui apud Socratem non occurrit, cum Socrates vice versa ex Athanasii Apologetico de fuga sua plura loca in suam historiam transtulerit [57], quae apud Sozomenum non reperiun-

---

54) Sozom. lib. I. c. 3. cf. Euseb. Vita Const. lib. I. c. 28.

55) Socrates lib. I. c. 8. cf. Euseb. Vita Const. lib. III. c. 7. 8. 9.

56) Sozomenus lib. II. c. 30. cf. Athanas. ep. ad ep. Aegypti et Libyae c. 19. ed. Montfaucon tom. I. p. 289.

57) Socrates lib. II. c. 28. cf. Athanasii Apolog. de fuga sua c. 6. 7. tom. I. pag. 323. — Socrates lib. III. c. 18. cf. Athanasii Apolog. de fuga sua c. 8 sqq.

tur. Quanquam plura eiusmodi exempla, si iis opus esset, proferri possent, prolata tamen sufficiant. Quod si igitur Sozomenus ex iisdem fontibus quam Socrates hausit, nil profecto restat, quod e Socrate furatus sit. Cui si addis et Socratem et Sozomenum Constantinopoli degentes eas potissimum res, quae ad ecclesiam Constantinopolitanam attinerent, memoriae prodendi habuisse consilium [58]), et ambos res non tam ad materiae similitudinem, quam ad chronologicam rationem disposuisse, idem fere utriusque rerum ordo ac frequentissimus consensus non adeo, ut de Sozomeno a furti crimine liberando desperes, te detinebunt.

At si Sozomenus non expilavit Socratem, Socrates fortassis expilavit Sozomenum. Multa sunt, quae huic opinioni refragentur. Nam cum Socrates disertis verbis profiteatur [59]), se libentius tacuisse, nisi obliteratae apud posteros res ecclesiasticae futurae essent, cumque historiam suam non sponte, sed Theodoro sacerdote quodam adhortante [60]) scripserit, huic profecto operae humeros subtraxisset, si eam iam subiisset alius. Porro aliquot eorum argumentorum, quibus in antecedentibus Sozomenum compilationis suspicione eximimus, Socratem quoque eadem suspicione eximunt. Sed cum haec quaestio a nemine viro docto mota sit, mittamus eam ulterius refutare. Ex iis igitur, quae hactenus disseruimus, neque Sozomenum Socratis, neque Socratem Sozomeni fuisse plagiarium, sed utrumque suam, ex

---

58) Hocce suum consilium ipse exponit Socrates lib. V. c. 24.

59) Lib. I. c. 18. Locum not. 21. vide adscriptum.

60) Lib. VI. prooem. Quinam ille Theodorus fuerit, aliunde non constat. Cf. Valesii annot. ad Socratis lib. II. c. 1.

ipsis fontibus haustam, seorsum concinnasse sacram historiam, dilucidissime liquet.

Theodoretum denique Socratis et Sozomeni vitia correxisse atque omissa supplevisse, viri docti suspicati sunt[61]. Ipsa scilicet auctoris verba, statim in exordio sese τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας τὰ λειπόμενα esse traditurum profitentis, ita interpretati sunt. Verum dummodo locum ipsum inspicias, illam interpretationem falsissimam illico deprehendes. Nam de Socratis ac Sozomeni historia ne verbum quidem legitur. Itaque quo tandem modo illa verba eo referri possunt? Enimvero cum auctor Eusebium quidem, ab Apostolorum temporibus exorsum, res in Ecclesia usque ad Constantini principatum gestas perscripsisse, se vero a fine historiae illius initium sui operis sumturum dicat, verba: τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας τὰ λειπόμενα huc unice referenda esse, dubitabit nemo. Quod si porro auctor de Socrate ac Sozomeno corrigendo supplendoque solummodo cogitasset, verba: Οὐ γὰρ ὅσιον ᾠήθην, λαμπροτάτων ἔργων καὶ ὀνησιφόρων διηγημάτων τὸ κλέος περιιδεῖν ὑπὸ τῆς λήθης συλώμενον, nullum prorsus haberent sensum. Quae quidem verba, Theodoretum et Socratis et Sozomeni historiam ne cognitam quidem habuisse, aperte testantur. Ideoque verissima videtur sententia Antonii Pagi[62]: Omnes tres circa idem tempus scripsisse videri[63], postremis Theodosii iunioris annis,

---

[61]) Tillemont Memoires eccl. tom. XV. pag. 331. *Rössler Bibl. der Kirchenväter Th. 5. S. 2.*

[62]) Critic. in Baron. ann. 427. n. XVI.

[63]) Theodoretum aliquot saltem annis post Socratem et Sozomenum scripsisse, vero haud videtur absimile. Cf. Du Pin Bibl. des Auteurs

et Socratem ac Sozomenum, quum Constantinopoli degerent, scriptis prodidisse potissimum, quae in ecclesia Constantinopolitana contigerunt, Theodoretum vero, utroque longe doctiorem, et in Oriente versantem, errores plurimos, in quos uterque incidit, vitasse, et in rebus orientalibus fusiorem et diligentiorem fuisse, licet de Socrate et Sozomeno ne cogitaret quidem.

Postquam igitur et Socratem, et Sozomenum, et Theodoretum separatim scripsisse, neque alium alios expilasse, a nobis probatum est, compilationis crimine de nullo quidquam detrahitur. Hactenus cuiuslibet idem pollet pondus, eadem auctoritas. Cui vero in universum maxima fides habenda sit, ex iis, quae supra de cuiuslibet indole historica disputata sunt, constituendum est. Singula denique, quibus Sozomenus a Socrate, et Theodoretus ab utroque dissentit, non tanquam emendatiora, sed ut discrepantia accipienda sunt, quibus vero omnes consentiunt, iis trium testimonio eo gravius additur momentum. Iam vero cum non sit, quod amplius praefemur, ad ipsam propositam quaestionem rite commodeque nos convertamus licet.

---

eccl. tom. III. part. 2. pag. 94. not. 6. Verumtamen, si tarditatem cogitas, qua apud veteres libri divulgabantur, Theodoretum, utpote a Constantinopoli remotius degentem, illarum historiarum tam brevi nactum esse facultatem, vix videtur probabile. Cur Theodoretus propterea, quod historiam suam anno 427. finivit, haudquaquam ante Socratem et Sozomenum scripsisse statuendus sit, exponit Schulze in vita Theodoreti pag. 42.

DE FONTIBUS, QUIBUS SOCRATES, SOZOMENUS ET THEODORETUS IN SCRIBENDA HISTORIA SACRA USI SUNT, ADIUNCTA EORUM EPICRISI.

Antequam ad ipsam rem accedamus, in universum, ne dubia atque vaga oberret quaestio, historici fontis notio accuratius describenda est [64]. Historicus fons iure meritoque tantummodo censetur is, qui, cuius rei est auctor, eiusdem veram accuratamque notitiam sive revera habuit, sive saltem habere potuit. Ideoque famae, per multos annos hominum ore circumlatae, modo auctae, modo immutatae, et sero tandem litteris fixae, sicuti cuilibet inconstanti traditioni, quae haud firmis quibusdam fulcitur fundamentis, nullum hac in re est momentum. Itaque eiusmodi traditiones, quae apud nostros leguntur, cum non nostrum sit excutere, seculi quarti historiam ecclesiasticam in universum tractantibu permittimus excutiendas. Quanquam res gestae tradantur sive ab aequalibus, qui, quod summum est fidei historicae documentum, in illo ipso loco, quo gerebantur res,

64) Vide quae de hac re docte et circumspecte disputavit Walch in suo libello: *Kritische Nachricht von den Quellen der Kirchenhistorie. S. 13 u. f.*

degentes earum erant participes aut spectatores; sive ab iis, qui quamvis aequales, loco tamen remotiores, cum viris, a quibus, quid factum esset, vere et accurate resciscere poterant, connecterentur familiariter; sive denique ab iis, qui et loco et tempore quamvis a rebus gestis seiuncti, e fonte tamen, quicunque demum ille fuerit, bonae fidei haurirent: quanquam igitur magna sit fontium varietas, in eo tamen, quod rerum memoriae proditarum veritatem perspectam habere certe potuerint, omnes, qui merito fontes historici audiunt, conspirare debent. Attamen nemini historico rerum, quas tradit, quamtumvis perito, fides utique habenda est. Nam innumera fere apud alios alia impedimenta veritatem obstruere, neminem fugit. Praesertim apud historicos ecclesiasticos fidei potissimum varietas veritati maximum intulit detrimentum. Nihil enim historicorum animos transversos egit vehementius, quam istud erga diversae fidei sectatores inexpiabile odium. Quatenus igitur auctor legem historicae fidei primariam, *ne quis veritatem aut corrumpat, aut taceat*, sive tenuerit, sive violaverit, quanquam res sit summis intricata difficultatibus, distincte tamen et accurate constituendum est.

Quod ad Socratem, Sozomenum atque Theodoretum, scriptores ecclesiasticos, attinet, hactenus de iis bene actum est, quod et suae aetatis res in Ecclesia gestas tradiderunt, et quae aliorum auctoritate retulerunt, eorum aut rerum participes, aut aequales habuere auctores. Nam contentionum Arianarum quem certiorem habere poterant auctorem, quam illum Athanasium, qui earum partes egit maximas? Quae porro Constantinus Magnus in commodum Ecclesiae gessit, eorum auctorem habent Eusebium, Constantino amicissimum, ut alios taceam auctores, qui infra

accuratius enumerabuntur et excutientur. Huc accedit, quod nostri historici scriptorum originalium egregium nobis superstitem fecerunt thesaurum. Arianorum potissimum dissidiorum, quibus enarrandis suam operam praecipue locarunt, multa summique aestimanda documenta iis debemus. Cum igitur fontes, e quibus Socrates, Sozomenus ac Theodoretus hauserunt, duplicis sint generis, scripta scilicet originalia atque auctores historici, scriptis originalibus, quae ceteros fontes et tempore et auctoritate praevertant, enumerandis atque examinandis fiat exordium.

Pars I.

Scripta originalia.

Unde a Socrate ceterisque scripta originalia desumta sint, quibusque aliis praeterea locis legantur, quantum a nobis indagari potuit, in singulis deinceps exponetur. Iam igitur de iis solummodo fontibus, unde illa hausta ipsi profitentur auctores, qui nobis vero propter temporis iniuriam haud amplius patent, praemoneamus. Duas epistolarum collectiones commemorat Socrates lib. 1. cap. 6. Exponens auctor de diversis epistolis, quae ad Alexandrum, Alexandriae episcopum, missae sint ab episcopis, aliis Arium in communionem recipiendum, aliis eundem condemnandum adhortantibus, haec addit: *Οὕτως ἐναντίων τῶν γραμμάτων πρὸς τὸν ἐπίσκοπον Ἀλεξανδρείας πεμπομένων, πεποίηνται τῶν ἐπιστολῶν τούτων συναγωγὰς Ἄρειος μὲν τῶν ὑπὲρ αὐτοῦ, Ἀλέξανδρος δὲ τῶν ἐναντίων. Καὶ τοῦτο πρόφασις γέγονεν ἀπολογίας ταῖς νῦν ἐπιπολαζούσαις αἱρέσεσιν Ἀρειανῶν, Εὐνομιανῶν καὶ ὅσοι τὴν ἐπωνυμίαν ἀπὸ Μακεδονίου ἔχουσιν. Ἕκαστοι γὰρ μάρτυσι ταῖς ἐπιστολαῖς ἐχρήσαντο τῆς οἰκείας αἱρέσεως.* Easdem epistolarum collectiones comme-

morat Sozomenus lib. 1. c. 1., addito insuper judicio. *Ἵνα δὲ μὴ*, inquit, *τις ἀγνοίᾳ τῶν ὄντων καταψηφίσηται ψεῦδος τῆς πραγματείας, ἐναντίαις ἴσως ἐντυχὼν γραφαῖς, ἰστέον ὡς προφάσει τῶν Ἀρείου δογμάτων καὶ τῶν ὕστερον ἀναφυέντων διαφερόμενοι πρὸς ἀλλήλους οἱ τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντες, ἕκαστοι περὶ ὧν ἐσπούδαζον πρὸς τοὺς ὁμοδόξους ἔγραφον· καὶ καθ' ἑαυτοὺς συνιστάμενοι κατὰ συνόδους ἐψηφίζοντο ἅπερ ἠβούλοντο· καὶ τῶν τἀναντία δοξαζόντων πολλάκις ἐρήμην κατεδίκαζον· καὶ τοὺς κατὰ καιρὸν βασιλέας, καὶ τούς ἀμφ' αὐτοὺς δυναμένους περιέποντες, ὡς εἶχον δυνάμεως, ἔπειθον, καὶ ὁμόφρονας αὐτοῖς κατεσκεύαζον. Εἰς ἀπόδειξίν τε τοῦ δόξαι σέβειν ὀρθῶς οἱ μὲν τοῖς, οἱ δὲ ἐκείνοις προστιθέμενοι, συναγωγὴν ἐποιήσαντο τῶν ὑπὲρ τῆς οἰκείας αἱρέσεως φερομένων ἐπιστολῶν, καὶ τὰς ἐναντίας παρέλιπον. Ὃ δὴ σκολίαν ἡμῖν λίαν κατεσκεύασε τὴν εὕρεσιν τῶν περὶ ταῦτα συμβάντων.* Sed quanquam, sicuti ex locis adscriptis patet, illae epistolarum collectiones summo partium studio concinnatae essent, magnopere tamen dolendum est, quod utraque periit. Socrates porro in exordio libri secundi, quo fontes, e quibus historiam suam hauserit, in universum enumerat, sese epistolas excellentium virorum, quas nactus sit, historiae suae intexuisse, dicit quidem, sed unde eas nactus sit non addit [65]). Ibidem de duplici historiae suae editione disserens, priori quidem, ait, editione, omissis actis originalibus, *τὰ γυμνὰ μόνον πράγματα*, ut ipsis eius utar verbis, sese tradidisse. Quod tamen consilium editione altera immutaverit. Sozomenus vero loco laudato et illas Alexandri atque Arii epistolarum collectiones memorat, et unde cetera quoque acta originalia sumserit, nos facit certiores. *Μεμνήσομαι*, inquit, *πραγμάτων, οἷς περιέτυχον, καὶ παρὰ τῶν εἰδότων ἢ θεασαμένων*

---

65) *Ἔτι μὴν καὶ ἐπιστολῶν τῶν τότε διαφόρων ἐπιτετυχηκότες ὡς οἷόν τε τὴν ἀλήθειαν ἀνιχνεύσαμεν.*

ἀκήκοα, κατὰ τὴν ἡμετέραν καὶ πρὸ ἡμῶν γενεάν. Τῶν δὲ περαιτέρω τὴν κατάληψιν ἐθήρασα ἀπὸ τῶν τεθέντων νόμων διὰ τὴν θρησκείαν, καὶ τῶν κατὰ καιρὸν συνόδων, καὶ νεωτερισμῶν, καὶ βασιλικῶν καὶ ἱερατικῶν ἐπιστολῶν, ὧν αἱ μὲν εἰς ἔτι νῦν ἐν τοῖς βασιλείοις καὶ ταῖς ἐκκλησίαις σώζονται, αἱ δὲ σποράδην παρὰ τοῖς φιλολόγοις φέρονται. Theodoretus, undenam sua acta originalia hauserit, omnino tacet. Iam vero scripta originalia, ordine certo digesta, adiuncta eorum epicrisi, singulatim recenseamus.

Acta disputationum Archelai cum Manichaeo [66]).

Archelaus cum Manichaeo eo tempore, quo Probus Romanorum imperator regnabat [67]), disputavit bis, primum quidem in Caschar [68]), Mesopotamiae civitate, cuius sedem episcopalem tenuit, tum vero in vico Diodori, in illa ipsa terra sito. Archelaum hasce disputationes syriaco sermone litteris mandasse, auctor est Hieronymus [69]), qui ejus graecam versionem suo tempore

66) Ex hisce disputationibus hausit Socrates lib. 1. c. 22. Eusebium suppleturus. Sed cum illa res ad tertium potius seculum quam ad quartum attineat, Sozomenus et Theodoretus de ea tacuerunt.

67) Patet hoc ex Act. disp. cap. 27. Hasce disputationes habitas esse anno 277. p. Chr., viri docti conspirant. Cf. *Walchs Ketzerhistorie Th.* 1. *S.* 727.

68) Haec urbs, quae ab Epiphanio Haeres. 66. num. 5. et 7. et a Socrate libr. 1. c. 22. dicitur Caschar, in Act. disp. exordio audit Carchar. Sed Carchar et Charra, quod c. 3. legitur, vitio librariorum in textum irrepsisse, et Caschar unice verum esse demonstravit Asseman. Bibl. orient. tom. 1. pag. 555. Cf. Fr. Augustini Antonii Georgii, Eremitae Augustiniani, Alphabetum Tibet. pag. 363.

69) Hieronymus De viris illustribus cap. 72. pag. 159. ed. Fabricii: Archelaus, episcopus Mesopotamiae, librum disputationis suae, quam

in multorum manibus fuisse, item asserit. Editionem graecam esse antiquissimam Epiphanius[70]), qui ea usus est, testatur. Sed neque syriaca neque graeca [71]) editio superstes est. Latina tantummodo restat translatio minime e syriaco, sed e graeco textu haud dubie facta [72]). Quam Socratis ac Sozomeni historiae ecclesiasticae adiectam primus in lucem protulit Valesius [73]). Ve-

---

habuit adversus Manichaeum, exeuntem de Perside, syro sermone composuit, qui translatus in graecum habetur a multis. Claruit sub imperatore Probo, qui Aureliano et Tacito successerat.

70) Epiphanius in haeresi Manichaeorum et epistolam Manichaei ad Marcellum, et Marcelli responsionem ad Manichaeum, et totam Turbonis de Manetis fide expositionem exhibet graece. Epiphanium vero neutiquam syriaca usum esse editione, sed graeca utique, ex eo patet, quod illa fragmenta in latina versione, quae graeca ad verbum reddit, totidem verbis expressa inveniuntur. Sunt quidem aliquot loca, in quibus latinus interpres ab Epiphanio differat (cap. 8. verba *αὕτη ἐστὶ συγκράσεως ἡ ὑπόθεσις* in latina versione omnino desunt, atque cap. 9. Epiphanius habet *εἴς πέντε σώματα*, quae latinus interpres vertit: in alia corpora), sed ista sunt nullius momenti.

71) Quae apud alios praeter Epiphanium graeca fragmenta extant, ex collecta habes in Routh. Reliquiis sacris vol. IV. pag. 277 sqq.

72) E multis hoc probatur locis. Cap. 8. verba: *καὶ οὕτως ἀπόκρουσιν ποιεῖται* vertuntur: et ita apocrusin, detrimentum, patitur. Porro *ὅς καλεῖται ἀὴρ ὁ τέλειος* vertitur: quod vocatur vir perfectus. Quo loco interpres latinus pro *ἀὴρ* haud dubie legit *ἀνήρ*. Sed plura exempla afferendi opera commode possumus supersedere, quandoquidem de hac re fuse disputavit Zaccagni in praefatione, apud Routh. l. l. pag. 121.

73) Vide Valesium in praefatione ad Socratis Sozomenique historiam eccles. de hac re exponentem.

rum codex Bobiensis, unde Valesius illam versionem sumsit, admodum mancus est. Nam exordium, utraque Archelai cum Manichaeo disputatio, Diodori epistola ad Archelaum et epilogus apud Valesium desunt. Editionem, quamvis compluribus mendis adspersam, et sub finem adeo mutilatam, longe tamen completiorem correctioremque e codice Casinensi haustam curavit Zaccagni [74]). Sed latinus interpres vir erat minuti ingenii atque doctrinae. Compluribus enim locis in tantos delapsus est errores, ut vix coniiciendo verum sensum assequi possis. Atque eundem haud pauca ex suo ingenio sive omisisse, sive immutasse licenter, haud improbabilis est virorum doctorum suspicio [75]).

Disputationes vero ipsae tali modo procedunt. Manes e Perside profugus Turbonem asseclam cum litteris ad Marcellum mittit, urbis Caschar civem, virum probitate liberalitateque longe lateque conspicuum, sperans, dummodo hunc ad opiniones suas pellexisset, et urbis Caschar et circumiacentis regionis homines sibi obnoxios fore. Marcellus, litteris acceptis, Manetem, quo accuratius se doctrina sua instruat, ad sese evocat. Turbo

[74]) Zaccagni Collectanea monumentorum veterum ecclesiae veteris graecae et latinae. Romae 1698. Quam Zaccagnii editionem Fabricius inseruit Collectioni operum Hippolyti. Appendix pag. 134. Eandem inveneis in Routh. Reliquiis sacris vol. IV.

[75]) Cf. *Walchs Ketzerhistorie Bd.* 1. S. 719. Ceillier Histoire des Auteurs eccl. tom. III. pag. 334. Archelaus in epistola ad Diodorum ait, sese contra Manetem non solum legem Mosis, verum etiam totum vetus Testamentum convenire Novo Testamento comprobasse, quod tamen in disputatione antecedente comprobatum desideratur.

interea remanens Marcello Archelaoque doctrinam Manichaei exponit. Paulo post ipse advenit Manes. Convocat igitur Marcellus primarios urbis viros, e quibus iudices eligit religione gentiles, quatuor numero, Manippum, grammaticae artis et disciplinae rhetoricae peritissimum, Aegialaeum, archiatrum praenobilem et litteris apprime eruditum, Claudium et Cleobulum, duos fratres, egregios rhetores[76]). Quibus iudicibus praesidentibus agitur res. In hac priori disputatione ab Archelao et Manichaei doctrina de dualitate refellitur, et Manichaeum haudquaquam paracletum esse, cujus speciem prae se ferebat, ostenditur. Disputatione finita, Manes fugiens ad vicum quendam venit, longe ab urbe Caschar positum, qui appellabatur Diodori. Erat autem presbyter loci illius et ipse nomine Diodorus. Qui cum Manetem quodam die turba congregata concionantem et populo persuadentem videret, epistolam misit ad Archelaum, sciscitaturus quid sibi hac rerum conditione agendum esset. Sciscitatus est potissimum de Manetis iactatione[77]), legem Mosis non esse dei boni, sed maligni principis, nec habere eam quidquam cognationis cum nova lege Christi, sed esse contrariam et inimicam, alteram alteri obsistentem. Quam opinionem Archelaus in responsione, ad Diodorum data, refellit. Sed, presbyterum Manichaeo in disserendo minime parem esse, probe sciens ad secundam disputationem advolat, qua Manichaeum, Christum haud verum hominem neque a Maria vere natum esse contendentem iterum refutat. Hac posteriori quoque disputatione absoluta, quaedam adduntur de origine Manichaeismi ac de fatis Manetis extremis.

---

[76]) Act. disp. cap. 12.

[77]) Act. disp. cap. 40.

Quae quidem disputationum Acta magnam virorum doctorum [78]), eorum authentiam modo defendentium, modo reiicientium, nacta sunt diligentiam. Quippe cum res Manichaeorum propter summas variorum fontium discrepantias, quanquam in iis expediendis atque collustrandis haud pauci viri doctissimi et ingenii acumen et doctrinae copiam luculenter probaverint, etiamnum haud satis expeditae et collustratae sint, istae omnes difficultates illico evanescerent, si illarum, a Manete ipso habitarum, disputationum sinceritas extra omnem dubitationem posita esset. Ideoque haud mirum est, quod viri docti de hacce re tantopere digladiati sunt.

Iam vero ii, qui illas disputationes genuinas habent, veterum patrum testimonio potissimum nituntur. Sed Cyrillus (Catech. VI.), Epiphanius (Haeres. 66.) atque Socrates, qui ex ipsis Actis haud dubie hauserunt, antiquitatem tantummodo, nequaquam vero sinceritatem eorum probant. Restat igitur Hieronymi auctoritas, qui unde sua sumserit latet. Verumtamen si rem accuratius perscrutere, Hieronymum ex eodem, quo ceteri, fonte hausisse, manifeste patet. Quae enim tradit „*Archelaum episcopum Mesopotamiae disputationem habuisse adversus Manichaeum, exeuntem de Perside*“ porro „*Claruisse eum sub imperatore Probo*“ eadem in Actis nostris leguntur. Istud vero „*Syro sermone composuit*“ nil est nisi coniectura ex eo, quod in Mesopotamiae urbe agitur res, ducta. Quam viri boni coniecturam esse pessimam, mox demonstrabimus. Atque ob illam ipsam conie-

---

78) Viros doctos, qui illarum disputationum authentiam aut defenderunt aut reiecerunt, enumeravit Fabricius Bibl. graec. ed. Harles tom. VII. pag. 277.

cturam graecum textum non originalem habuit Hieronymus, sed versionem, ideoque addidit „*qui translatus in graecum sermonem habetur a multis.*"

Cum igitur veterum testimonia ad unum omnia Actorum fide nituntur, illa ipsa Acta nobis iam examinanda restant. Iam vero disputationes nostras, si revera habitae sunt, nulla alia haberi potuisse lingua, quam syriaca, dubitari nequit. Nam cap. 36. disertis verbis dicitur Manichaeus neque Graecorum, neque Romanorum, neque Aegyptiorum, neque ullius linguae habuisse scientiam, quam Chaldaeorum solum. Atque quae Manes disputat, ipse disputat, nemine graeco interprete adstante. Illas vero disputationes neutiquam a syriaco, sive, quod parum differt, chaldaico, sed a graeco auctore utique profectas esse, certissima extant indicia. Scilicet Archelaum diabolum a deo primo quidem bonum angelum creatum esse, postea vero ab eodem descivisse, contendentem eo urget Manes[79], quod diaboli, cuius creator si deus fuisset, pater minime dici possit mendax. Nititur ancipiti loco Ioh. VIII, 44., quo Iesus Iudaeos ita increpat: *Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ, καὶ τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς θέλετε ποιεῖν. Ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. Ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ· ὅτι ψεύστης ἐστί, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ.* Postrema huius loci verba ambigua sunt. Ad vocem *αὐτοῦ* sine dubio supplendum est *ψεύδους*; Manes vero supplevit *διαβόλου*, et latinus interpres vertit: quoniam (diabolus) mendax est, sicut et pater eius. Sed ista ambiguitas tollitur versione syriaca, qua locus sic

---

79) Act. disp. cap. 29.

vertitur: ܐܢܬܘܢ ܡܢ ܐܒܐ ܐܟܠܩܪܨܐ ܐܝܬܝܟܘܢ : ܘܪܓܝܓܬܗ ܕܐܒܘܟܘܢ
ܨܒܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܡܥܒܕ : ܗܘ ܕܡܢ ܒܪܫܝܬܗ ܩܛܘܠ ܐܢܫܐ ܗܘ .
ܘܒܫܪܪܐ ܠܐ ܩܐܡ . ܡܛܠ ܕܫܪܪܐ ܠܝܬ ܒܗ . ܘܐܡܬܝ ܕܡܡܠܠ
ܕܓܠܘܬܐ . ܡܢ ܕܝܠܗ ܗܘ ܡܡܠܠ . ܡܛܠ ܕܕܓܠܐ ܗܘ ܐܦ ܐܒܘܗ .
Nam vox ܐܒܘܗ tantummodo referri potest ad ܕܓܠܘܬܐ. Quod si vero referretur ad diabolum tum, quod vix monendum est, scribendum fuisset ܐܒܘܗܝ. Quod si igitur hunc locum e syriaca versione allegasset Manes, ad illam interpretationem sive omnino non decurrere potuisset, sive, si decurrisset nihilominus, ab Archelao illico detecta esset fraus. Sed tantum abest ut Archelaus loci interpretationem corrigat, ut potius misere laboret, quomodo istum mendacem diaboli patrem de alio quovis, quam de deo, interpretetur. Neque ullo modo videtur credibile, Archelaum Maneti alius versionis, quam Peschito, concessisse usum.

Porro verborum lusus, quo Archelaus (cap. 22.) Manichaeum parasitum potius, quam paraclitum nominat, graecus tantummodo est. Quibus vero Archelai verbis (cap. 22.), solaris cursus spatium a Graecis sphaeram nominari dicentis, Syrum auctorem probare studet Zaccagni, ea haud dubie latini interpretis verba sunt.

Huc accedit, quod Manes per totam disputationem nil fere agit, quam ut mite tardeque sententias promat, quas Archelaus uberrimo orationis flumine refellat. Manetem vero, qui, quod in ipsis Actis dicitur, vir erat valde vehemens, tam sermone, quam

opere (cap. 40.), et super omnem hominem eruditus (cap. 53.), suas partes tam male egisse, quis tandem credat? Porro judices constituti, quamvis religione gentiles, nusquam tamen Manichaeo, qui doctrinae suae multa gentilia admiscuit, sed semper et ubique Archelao episcopo assentiuntur. Et quamnam omnino habet veri speciem, rerum Christianarum arbitros gentiles extitisse? Sed plures eiusmodi fictiones Christiana vidit antiquitas, ea de causa factas, ut catholicae fidei de haeresi victoria ab omni partium studio remotior eoque clarior evaderet. Alia etiam complura in disputationum narratione deprehenduntur ad veritatem parum accommodata. Quae tamen singula enumerare [80]), ne longiores simus, omittimus.

Postremo hoc etiam illarum disputationum authentiae refragatur vel maxime, quod usque ad Cyrillum Hierosolymitanum non solum ceteri omnes patres, verum etiam Eusebius, de iis tacuerint. Nam mirum profecto videtur, quod, cum veterum ecclesiarum episcopi tam arcto epistolarum commercio connectebantur, catholici episcopi de celeberrimo haeresiarcha reportata victoria in obscuro adeo delituerit. Huic quidem argumento Beausobre magnam impendit doctrinam [81]).

Quae cum ita sint, eorum sententiae, qui graeculum hominem istas disputationes concinnasse statuunt, accedere haud

---

80) Quorum plura si cupis resciscere, vide *Semlers Einleitung zu Baumgartens Untersuchung über theol. Streitigkeiten Bd.* 1. S. 269. *Anmerk.* 279.

81) Histoire critique de Manichée et du Manichéisme tom. 1. liv. 1. ch. 13.

dubitamus. Quicunque demum ille [82]) fuerit, consilium ejus certum est. Procul dubio id unice spectavit auctor, ut catholicae fidei praestantiam prae Manichaeorum haeresi, in dies magis magisque aucta et latius diffusa, probaret. Quod an ei contigerit probare, nec ne, a nostro loco alienum foret quaerere. Hoc vero, auctorem nostrum Manetis doctrinae haud imperitum fuisse, negari nequit. Nihilominus igitur istae disputationes Manetis doctrinae fontes manent, longe tamen minoris auctoritatis, quam si genuinae essent.

Epistolae imperatoriae.

Constantini Magni epistola ad Alexandrum episcopum, et Arium presbyterum. Constantinus hanc epistolam per Hosium, Cordubae Hispaniae urbis episcopum, Alexandriam misit, ut litem ibi exortam componeret. Scripta est Nicomediae post devictum Licinium, anno 324. Socrates I, 7. Eusebius Vit. Const. II, 64-72. Eusebius totam exhibet epistolam, Socrates eius tantum partem, omittens initium, quod apud Eusebium 64-69. legitur. Eandem epistolae partem, quam Socrates habet, invenies apud

82) Archelaum auctorem haud fuisse ex iis, quae supra disputavimus, luculenter apparet. Quid, quod in ipsis Actis alius innuitur auctor. Nam cap. 55. locus extat hic: „Quibus postea agnitis, Archelaus adiecit ea priori disputationi, sicut ego, qui inscripsi, in prioribus exposui.“ Porro Heraclius Chalcedonensis apud Photium cod. 85. Hegemonium quendam auctorem asserit. Sed cum Heraclius sexto demum saeculo scripserit, cum porro nesciatur, unde hoc hauserit episcopus, cum denique qui ille Hegemonius fuerit aliunde prorsus non constet, etiamnum dubia manet res. Ita etiam tempus, quo istae disputationes prodierint, accuratius constitui nequit.

Gelasium Histor. concil. Nic. II, 4. in Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 802. Porro apud Nicephorum Histor. eccles. VIII, 13. et apud Epiphanium Scholast. Histor. tripart. I, 20.

Eiusdem epistola ad Eusebium, Caesareae episcopum. Datae sunt hae litterae non solum ad Eusebium, verum etiam ad ceteros episcopos, ut ecclesias collapsas restaurarent et novas exstruerent. Scripta est circa annum 324. Socrates I, 9. Theodoret. I, 15. Eusebius Vit. Const. II, 46 Eusebius, ad quem data est epistola, eam ponit post caedem Licinii atque ante synodum Nicaenam, ideoque circa annum 324 scriptam. Itaque non audiendi sunt Socrates atque Theodoretus, qui eam post synodum Nicaenam demum exhibent. Praesertim cum Socrates eam importuno admodum loco posuerit, ita ut cum antecedentibus prorsus non cohaereat. Eusebium vero epistolam suo collocasse loco, ejus argumentum quoque testatur.

Eiusdem epistola ad Alexandrinam ecclesiam. De pace ecclesiae per synodum Nicaenam restituta. Et haec et quae subsequuntur tres epistolae paulo post synodum Nicaenam scriptae sunt. Socrates I, 9. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 723. et 919. eam bis habet.

Eiusdem epistola ad omnes ubique episcopos et populos. Contra Arii sectatorumque eius dogmata. Socrates I, 9. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 919.

Eiusdem epistola ad ecclesias. De paschatis lite in synodo Nicaena diremta. Socrates I, 9., qui infra V, 22. partem eius-

dem epistolae repetit. Theodoret. I, 10. Eusebius Vit. Const. III, 17. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 922.

Eiusdem epistola ad Nicomedienses. Constantinus Nicomedienses certiores facit de relegatione Eusebii, episcopi sui. Data est haec epistola tertio mense post concilium Nicaenum, anno 325. Cf. *Walch Historie der Ketzereien Th. 2. S.* 483. Theodoret. I, 20., qui illius partem tantummodo habet. Integra extat apud Gelasium Histor. conc. Nic. IV, 2. in Mansi Collect. conc. tom. II. pag. 939. Versionem latinam antiquissimam habet Baronius Annal. eccles. anno 329. §. 5.

Eiusdem epistola ad Macarium. Data est haec epistola ad Macarium, Hierosolymorum episcopum, propter exstructionem martyrii Servatoris. Quae cum inchoata fuerit anno 326., inde, quo tempore illae litterae exaratae sint, prodit. Cf. *Mansos Leben Konstantin d. Gr. S.* 113. Socrates I, 9. Theodoret. I, 17. Eusebius Vit. Const. III, 30. Mirandus est Socrates, quod tam importuno loco hancce epistolam posuerit. Nam infra Lib. I. c. 17. eandem commemorat, quo loco haud dubie collocanda erat.

Eiusdem epistola ad Arium. Arius ab exilio revocatur. Exarata est haec epistola ex Walchii verisimillima sententia anno 330., et quod ipsi epistolae subscriptum legitur, ante diem quintum Calend. Decembr. *Historie der Ketzereien Th. 2. S.* 487. Socrates I, 25. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 1155.

Eiusdem epistola ad Saporem. Constantinus Christianos in Perside degentes regis benevolentiae commendat. Data est epistola anno 333. Sozomenus II, 15. Theodoret. I, 25. Eusebius Vit.

Const. IV, 9-14. Eusebius, cuius hac in re maior est auctoritas quam seriorum, hanc epistolam datam esse dicit a Constantino ad Saporem per legatos Persas, qui anno 333. Constantinopolin venerint, ad Christianos in Perside degentes regis benevolentiae commendandos. Quocum argumentum, epistolae egregie conspirat. Cf. *Mansos Leben Konstantin d. Gr. S.* 198. Sozomenus vero, qui epistolae argumentum tantummodo exponit, eam scriptam esse opinatur a Constantino, ut Christianos in Perside a persecutione, quam in antecedentibus fusius enarravit, liberaret. Sed praepostera Sozomeni interpretatio, cuius in ipsa epistola nullum extat argumentum, in causa fuit, quod illam Christianorum persecutionem in Perside factam perperam putaret sub imperio Constantini, cum tamen, secundum Hieronymum in Chron., facta demum sit anno 343. Eodem errore, quo Sozomenus, Theodoretus quoque lapsus est.

Eiusdem epistolae ad Athanasium fragmentum. Athanasius iubetur Arium admittere ad ecclesiam Alexandrinam. Socrates I, 27. Sozomenus II, 22. Athanasii Apol. contra Arianos tom. I. pag. 178.

Eiusdem epistola ad Alexandrinos. De insontia Athanasii a criminibus ab Arianis ei affictis. Theodoret. I, 27. extremam eius partem habet. Totam dat Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 1131.

Eiusdem epistolae ad synodum Tyri congregatam duae. Priori epistola Constantinus synodum hortatur, ut quantum fieri possit in pacem cum Athanasio redeat. Posteriori vero synodum ad se evocat Constantinopolin, ut coram ipso Athanasii causa di-

ligentius dirimeretur. Utraque scripta est anno 335. Priorem exhibet Theodoret I, 29. Eusebius. Vit. Const. IV, 42. partem habet. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 1139. Posteriorem habent Socrates I, 34. Sozomenus II, 28. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I. pag. 201.

Eiusdem epistolae ad Antonium monachum fragmentum. Constantinus Antonio respondet, sese Athanasium ab exilio revocare non posse. Scripta est igitur haec epistola post Athanasii relegationem, quae accidit anno 335. Sozomenus II, 31.

Eiusdem epistola ad Eusebium, Caesareae episcopum. Constantinus Eusebio dat mandatum, ut codices sacrae scripturae curet describendos. Data est anno 335. Socrates I, 9. Theodoret. I, 16. Eusebius Vit. Const. IV, 36. Eusebii, qui hasce litteras brevi ante tricennalia Constantini ponit, maiorem esse auctoritatem, quam Socratis atque Theodoreti, qui eas cum litteris ad eundem Eusebium datis, quas supra commemoravimus, connexuerunt, nemo dubitabit.

Constantini II. epistola ad Alexandrinos. Athanasius hisce fretus litteris Alexandriam rediit, quod factum est anno 338. Socrates II, 3. Sozomenus III, 2. Theodoret. II, 2. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I, pag. 203. Epiphanius Scholast. Hist. tripart. IV, 2. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 1274.

Constantis epistola ad fratrem Constantium. Fratri minatur bellum, nisi Paulum atque Athanasium eiectos ecclesiis suis restituat. Et haec, et sex sequentes epistolae Constantis, datae sunt anno 346. Socrates II, 22.

Constantii epistolae ad Athanasium tres. Quibus eum ad reditum invitat. Socrates II, 23. Theodoret. II, 11. secundam

tantum habet. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I. pag. 170. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 1234.

Eiusdem epistola ad episcopos et presbyteros catholicae ecclesiae. Constantinus Athanasium declarat patriae et ecclesiae suae restitutum. Socrates II, 23. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I. pag. 173. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 1242.

Eiusdem epistola ad Alexandrinos. Hortatur eos ut Athanasium lubenti animo suscipiant. Socrates II, 23. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I. pag. 173. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 1239.

Eiusdem epistola ad Nestorium atque Augustamnicae, Thebaidis et Libyae praesides. De abolendis iis, quae contra Athanasium acta fuerant. Socrates II, 23. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I. pag. 174.

Eiusdem epistola ad ecclesiam Antiochiae. Eudoxium episcopum iubet expelli. Data est anno 358. Sozomenus IV, 14.

Eiusdem epistola ad episcopos, qui Arimini convenerant. Semet excusat imperator, quod legationem, a synodo ad se missam, nondum admittere potuerit. Scripta est epistola anno 359. Socrates II, 37.

Iuliani epistola ad Alexandrinos. Obiurgat eos ob caedem Georgii episcopi. Scripta est epistola anno 362. Socrates III, 3. Iuliani epist. 10. Cf. *Neanders Leben Iulians. S.* 161.

Eiusdem epistola ad Arsacium, sacerdotem Galatiae gentilem. Dat Arsacio mandata, quibus gentilem superstitionem sub-

levet. Sozomenus V, 16. Iuliani epist. 94. Cf. *Neanders Leben Iulians S.* 130.

Valentiniani atque Valentis epistola ad Asianam dioecesin. De fide consubstantiali, in concilio Illyrico confirmata, certiores faciunt Asianos. Scripta est anno 375. Theodoret. IV, 8. Nicephorus XI, 30. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 389. Pagi in Crit. Baron. ad annum 365. num. 9. sq. hanc epistolam annotat a solo Valentiniano scriptam esse, cui integrum Illyricum paruerit, quique fidem catholicam, a qua Valens abhorreret, tutatus sit.

Cum epistolae Constantini Magni, quas supra enumeravimus, magnam partem desumtae sint ex Eusebii libris de ejusdem imperatoris vita conscriptis, maximi momenti est audire, quid de scriptis originalibus, apud Eusebium obviis, in universum statuat vir acutissimi ingenii Manso [83]. *Eusebius*, inquit, *hat seinem Werke mehrere kaiserliche Verordnungen, Sendschreiben und Hirtenbriefe sowohl an einzelne Bischöfe, als an ganze Gemeinheiten einverleibt, und auch in diesen erscheint sein Held, wie er ihn durchweg schildert, als ein vollkommener Heiliger. Eben er berichtet* [84]*, der Kaiser habe in müssigen Stunden geistliche Reden in lateinischer Sprache ausgearbeitet, und theilt uns den frommen Inhalt einiger an das Volk gehaltenen mit. — — Mich dünkt, wenn man über den geschichtlichen Werth dieser vermeintlichen Urkunden ein richtiges Urtheil fällen wolle, so müsse man schlechterdings den Inhalt von der Einkleidung sorgfältig unterscheiden. Ich*

---

[83]) *Leben Konstantin des Grossen. S.* 277 *u.* 278.

[84]) Vit. Const IV, 29. 54.

zweifle keinen Augenblick, dass wir in allem, was der Kaiser in öffentlichen Verordnungen erlaubt oder verbietet, so wie in demjenigen, was er dem Einzelnen brieflich aufträgt, oder wozu er diese oder jene christliche Gemeinde ermahnt und auffordert, seine wahre Gesinnung lesen, und bezweifle es um so weniger, da die meisten schriftlichen Urkunden einem Zeitraume angehören, wo seine Neigung zum Christenthume als entschieden angesehen werden muss. Aber schwerlich wird mich jemand überreden, dass diese frömmelnde, oft spitzfindige, oft ganz mönchische Sprache die Sprache Constantins sey. Diese geistliche Schönrednerei, die mit der weltlichen der Panegyriker und dem gesammten Geiste des Zeitalters genau zusammenhängt, ist das Eigenthum derer, die dem Befehle und Auftrage des Kaisers ihre Feder liehen: denn dass er sie nicht selber geführt habe, sagt uns die Natur der Sache, der merklich von einander abweichende Ton der Aufsätze und Eusebius ausdrückliches Zeugniss [85]. Constantins Unterschrift bekräftigte den ausgesprochenen Gedanken, und konnte es, weil der ausgesprochene wirklich der seinige war, und Eigenliebe hiess den rednerischen Ausdruck gut, weil sie sich durch ihn geschmeichelt fühlte: allein der vorsichtige Forscher sieht sich genöthigt beide zu scheiden, damit jedem das Seine bewahrt werde, und das Urtheil unverfälscht bleibe."

Quae vir doctus in universum de scriptis originalibus, in Eusebii Vita Constantini Magni obviis, disputavit, ea singula examinare a nostro loco alienum foret. De solis igitur epistolis, quae ex Eusebio ad nostros quoque scriptores permanarunt, no-

[85]) Vit. Const. II, 23.

bis jam disserendum est. Negari non potest, in compluribus epistolis istam inanem fucatamque pietatem deprehendi, quae in Constantino ingenue instituto merito suspecta videtur Mansoni. Verum enimvero cum illae epistolae eo potissimum tempore exaratae sint, quo Constantinus, episcoporum, veluti Eusebiorum, Hosii aliorumque, consuetudine unice gavisus, ad eorum haud dubie magis magisque declinaret indolem, quod ejus quamvis principis sermo episcopalem potius spiret dictionem [86]) vix mirum videbitur. Ideoque in Constantini epistolas episcoporum

---

[86]) Quod quidem alio loco ipse Manso quodammodo profitetur. S. 117 u. 118. „*Dem Christenthume an sich nicht ungünstig, von seiner andächtigen Mutter Helena, und seiner glaubigen Schwiegermutter Eutropia seit Jahren in dieser Meinung bestärkt, durch manchen andern, der ihm nahe stand, z. B. den Lactantius, den Lehrer seines ältesten Sohnes Krispus, in die nämliche Richtung, vielleicht ohne es zu ahnden, geleitet, gewohnt endlich in kirchlichen Angelegenheiten des Raths angesehener Kirchenlehrer sich zu bedienen, — wie viel Hosius, der Bischof von Corduba, bei ihm galt, sagt uns Eusebius II*, 63. *III*, 7. — *trat Constantin nach Ueberwältigung des Licinius mit der gebildeten Geistlichkeit des Morgenlandes in immer nähere Berührung, und empfing Huldigungen, die ihm schmeichelten, und in den Augen der Menge eine Bedeutung gaben, die ihm wohlgefiel. Er hörte sein Glück mit dem Unglück seiner Nebenbuhler vergleichen, und gewöhnte sich allmählig an den Gedanken, dass die Achtung, mit der er das Christenthum ausgezeichnet habe, die Ursache seines Glückes, und er der Liebling des christlichen Gottes sey. Er sass zu Nicäa in der Versammlung von vielleicht* 300 *erleuchteten Bischöfen oben an, und fügte zu dem Ruhme des Kriegers den Ruhm des Gelehrten. Er erwies ihnen und ihren Brüdern so viele grosse und kleine Gunstbezeugungen, und erwies sie keinem, ohne Dank*

ei familiarium vim qualemcunque fuisse quanquam non utique negamus, id tamen, quod doctissimus Manso efflagitat, ut quid sit episcoporum quidve imperatoris distincte secernatur, dubium videtur aleaeque plenum.

Inter Constantini epistolas illae ambae potissimum, quarum alteram ante synodum Nicaenam ad Alexandrum atque Arium, alteram post synodum illam ad Alexandrinos dedit, propter miram earum diversitatem, nos male habuerunt. Etenim in illa epistola Alexandrum atque Arium de inani re litigantes nuncupat; eos, ut illorum princeps, ab ista futili quaestione desistere jubet; Alexandrum pariter ac Arium obiurgat. In hisce vero litteris sibi totique ecclesiae, quod ab omni errore liberati unam tandemque doctrinam agnoscant, gratulari; quod episcopi veritatis examen subierint, semet magnopere gaudentem profiteri; Arii opinionem tanquam diaboli fraudem detestari; Alexandri vero doctrinam, a trecentis episcopis tanquam spiritu sancto com-

---

*und Lob einzuernten. Es ist wohl begreiflich, wie er in solchen Umgebungen lebend, und solcher Ehre gewürdigt, dem Christenthume je länger je mehr gewonnen und auch, gegen seine ursprüngliche Absicht und Ueberzeugung, zu Schritten, welche die Staatsklugheit misbilligt, verführt werden konnte. Seine Eitelkeit, ein Hauptzug seines Gemüths, wurde zu sehr in Anspruch genommen, als dass sie nicht hätte erliegen sollen. **Spricht sie sich doch sogar, sey es nun durch ihn unmittelbar, oder durch andere, in seinen Verfügungen zum Besten der Christen, ganz dem Geiste seiner kurzen und einfachen Gesetze zuwider, so wortreich und rednerisch aus, dass man sich nicht selten von der prunkenden Frömmigkeit abwendet.***

probatam, laudibus extollere. Quae vix inter sese concinnari posse videntur. Iam vero ex Mansonis sententia in epistola ad Alexandrinos Constantino nil amplius tribuendum esse, quam quod doctrinam Nicaenam commendatam omnino voluerit, cetera vero omnia ab episcopis, Alexandro episcopo suffragantibus, profecta, statuendum est. Sed de altera quoque epistola contraria ad Alexandrum atque Arium idem hoc statuerunt viri docti. Severinus Binius [87]) alterutrum ait statuendum esse, vel quod Eussebius, Arianus homo, parum fideliter hanc epistolam Constantini descripserit, attexueritque illius vitae, quam in gratiam Constantii Augusti, pariter Ariani, conscripserit, ac perinde ea minime digna tanto pontifice ab eo iactata confinxerit, vel illud necessario affirmandum esse, argumentum illius suppeditatum esse ab Eusebio, eiusdem civitatis episcopo, omnium Arianorum facile principe. Verum quamvis episcoporum, et Arii doctrinam, et Nicaenam fidem sectantium, auctoritas Constantini animum haud raro regeret, illas epistolas utriusque partis episcopis tribuere eo licentius videtur, quandoquidem Constantinum, nemine instigante nisi rerum conditione, ita revera scripsisse haudquaquam absonum est iudicare. Etenim quamvis illae epistolae diversissimae sint, in eo tamen ambae congruunt, quod imperator, sicuti in omnibus Ecclesiae dissidiis facere consuevit, [88]) liti-

---

[87]) In notis ac hanc epistolam in Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 945. Binio assentiuntur Baronius, Montfaucon, Tillemont, Henschen. Cf. Travasa Storia crit. della Vita di Ario pag. 152. sqq. Ceillier Histoire des Auteurs. tom. IV. pag. 104. et 157. Weismann Memorab. H. E. tom. I. pag. 378.

[88]) Qua de re Manso in libro supra laudato pag. 101. egregie ita: *In alle dem, was Konstantin zur Beilegung des Arianischen Strei-*

gantes ad pacem concordiamque omni modo cohortatur. Quo vehementius igitur Alexandrum atque Arium a dissidiis, antequam invaluerit lis, deterreat, rem, de qua ambigebant, levem atque inanem appellat. Post vero litem diremtam, ne denuo ad rixas congrediantur, fidem Nicaenam ut praestantissimam sanctissimamque celebrat.

Epistolae episcopales.

Arii epistola ad Eusebium Nicomediensem. Arius Eusebium ad suas partes pellicere studet. Exaravit hancce epistolam Alexandria depulsus in Palaestina, anno 321. Circa idem tempus tres quae subsequuntur epistolae scriptae videntur. Arii quamvis presbyteri epistolam inter episcopales retuli, cum ceterae omnes in hunc ordinem redactae ab episcopis scriptae sint, neque titulum singularem uni epistolae praefigere voluerim. Theodoret. I, 5. Epiphan. Haeres. LXIX. §. 6. Nicephorus VIII, 9. Epiphan. Scholast. 1, 25.

Alexandri epistola ad Alexandrum, Constantinopolis episcopum. Exponitur discidium Ario auctore in ecclesia Alexandrina ortum. Theodoret. I, 4. Epiphan. Scholast. I, 14. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 641. Huius epistolae inscriptionem non esse germanam contendit Binius in notis ad hanc epist. in Mansi Collect. l. l. pag. 659. Quae quidem dubitatio eo confir-

---

tes that, spricht sich nichts so kräftig und lebhaft aus als seine Neigung zum Frieden, und eine unbefangene, höhere Ansicht, die dem kleinlichen Zweck und ungestümen Eifer der Geistlichen gegenüber sich gar vortheilhaft ausnimmt.

matur, quod vox κωνσταντινούπόλεως in tribus Theodoreti codicibus atque editione Stephani deest. Cum vero Theodoretus l. l. disertis verbis dicat, Alexandrum epistolam dedisse ad τὸν ὁμώνυμον, Baluze not. in Marc. de conc. sacerd. et imp. pag. 481. Alexandrum, Thessalonicae urbis episcopum, innui coniecit. Sed cum ex ipsius epistolae argumento nil certi statui queat, haec quaestio dubia manet. Cf. *Walchs Historie der Ketzereien. Th. 2. S. 437.*

Eiusdem epistola ad omnes episcopos catholicae ecclesiae. Alexander, Arianae haeresis exortum atque Arii eiusque sectatorum damnationem nuntians, episcopos monet, ut sibi caveant ab Eusebio Nicomediensi, ad Arii doctrinam commendandam epistolas huc et illuc mittente. Habetur apud Socratem I, 6. atque, qui eam hinc desumsit, Nicephorum VIII, 8. sed multis respersa corruptelis, et sine cleri Alexandrini subscriptionibus. Porro apud Gelasium Hist. conc. Nic. II, 3. in Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 793. cum subscriptionibus quidem, sed non sine mendis. Correctissimam completissimamque edidit Montfaucon Athanas. tom. I, pag. 397. Epiphan. Scholast. I, 14.

Eusebii Nicomediensis epistola ad Paulinum. Eusebius Eusebii Caesareensis studium in tuenda Arii doctrina laudat, Paulini vero, episcopi Tyri, silentium reprehendit. Theodoret. I, 6.

Eusebii Pamphili epistola ad Caesareenses. Eusebius suis vocem ὁμοούσιος interpretatur, ne scilicet quis sinistrum quippiam de se suspicetur, quod in subscriptione fidei Nicaenae paululum substitisset. Data est haec epistola illico post synodum Nicaenam anno 325. Socrates I, 8. Theodoret. I, 12. Atha-

nas. De decretis synodi Nicaenae tom. I. pag. 238. Gelasius Hist. conc. Nic. II, 34. in Mansi Collet. concil. tom. II. pag. 913. Epiphan. Scholast. I, 11.

Iulii epistola ad clerum et populum Alexandrinum. Iulius, Romae episcopus, clero et populo Alexandrino gratulatur propter reditum Athanasii. Scripta epistola anno 346. Socrates II, 23. Athanas. Apol. contra Arian. tom. I. pag. 171.

Valentis et Ursacii epistola ad Iulium. Fatentur, quaecunque hactenus de Athanasio dixissent, meras fuisse calumnias, rogantque Iulium, ut se ad communionem suam admittat. Scripta est haec epistola sicuti sequens anno 348. Sozemenus III, 23. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I. pag. 176. Hilarius Fragm. p. 24. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 166.

Eorundem epistola ad Athanasium. Rogant Athanasium, ut se ad pacem et concordiam admittat. Sozom. III, 24. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I. pag. 177. Mansi Collect. conc. tom. III. pag. 168. Ad duas hasce epistolas vide quae praefatur *Fuchs Bibl. der Kirchenversamml. des 4. u. 5. Jahrh. Th. 2. S.* 172.

Georgii Laodiceae episcopi epistola adMacedonium, Basilium, Cecropium, Eugenium. Obsecrat eos, ut Antiochiae, ab Eudoxio vexatae, succurrant. Data est epistola anno 358. Sozom. IV, 13. Valesius ad Sozom. l. l. annotat haec: „Haec Georgii Laodicensis epistola adversus Eudoxium recitata quidem est in concilio Ancyrano, ut docet Epiphanius in haeresi Semiarianorum, non tamen scripta est ad episcopos synodi Ancyranae, ut patet ex nominibus episcoporum, quae hic leguntur in titulo

epistolae Georgii. Nullus enim ex istis synodo Ancyranae interfuit praeter Basilium."

Petri Alexandriae episcopi epistolae pars media. De iis, quae Alexandriae gesta sunt auctore Lucio, episcopo Ariano, qui post Petrum expulsum episcopatum obsederat anno 373. Theodoret. IV, 22.

Gregorii Nazianzeni epistolae ad Nectarium, Costantinopolis episcopum, pars. De Apollinaristis. Sozom. VI, 27.

Innocentii epistolae ad Ioannem Chrysostomum. Innocentius, Romae episcopus, Ioannem consolatur ob inflictas ei miserias. Data epistola cum sequenti anno 405. Sozom. VIII, 26. Mansi Collet. conc. tom. III. pag. 1117.

Eiusdem epistola ad clerum et populum Constantinopolitanum. Innocentius iis animum addere studet, propter fidem, qua Ioanni adhaerebant, mala perferentibus. Sozom. VIII, 26. Nicephorus XIII, 32. Mansi Collect. conc. tom. III. pag. 1095.

Attici epistola ad Calliopium. Atticus, ad episcopatum Constantinopolis anno 405. evectus, vir liberalis, cum Calliopio, Nicaeensis ecclesiae presbytero, trecentos aureos mitteret, hanc scripsit epistolam. Socrates VII, 25.

Epistolae synodicae.

Nicaenae synodi epistola ad ecclesiam Alexandrinam et cunctos episcopos Aegypti, Libyae atque Pentapolis. De iis, quae a synodo constituta sunt, et qualiter Arius, et qui cum ipso consenserant, depositi sunt. Data epistola anno 325. So-

crates I, 9. Theodoret. I, 6. Epiphan. Scholast. VIII, 12. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 909.

Serdicae synodi epistola ad omnes ubique episcopos. Narrantur calumniae Athanasio ab Eusebianis impositae. Athanasii innocentia declaratur, Ariani vero episcopi et damnantur, et deponuntur. Data est epistola anno 344. sive 347. Theodoret. II, 8. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I. pag. 162. Epiphan. Scholast. IV, 24. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 57. Quam Theodoretus fidei formulam huic epistolae appendicem adiecit, eam surreptitiam et ab alio superadditam esse probat Binius in notis ad hanc epist. in Mansi Collect. l. l. pag. 85. Cf. *Walchs Historie der Ketzereien Th.* 2. *S.* 522. *Anmerk.* 2. *Fuchs Bibl. der Kirchenversamml. des* 4. *u.* 5. *Jahrh. Th.* 2. *S.* 143. *Anmerk.* 159.

Hierosolymitanae synodi epistola ad omnes Aegypti et Libyae episcopos. Data est haec epistola propter Athanasium, Alexandrinae ecclesiae restitutum, anno 347. Sozom. III, 22. Athanas. Apol. adv. Arian. tom. I. pag. 175. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 173.

Ariminensis synodi epistolae ad Constantium duae; datae anno 359. Priori epistola synodus ea, quae decreverat, imperatori significat, posteriori eundem rogat, ut sibi det ad suas ecclesias redeundi facultatem. Socrates II, 37. Sozomenus IV, 18. priorem tantum habet. Theodoret. II, 19. 20. Athanas. De synodis tom. II. pag. 723. 768. Epiphan. Scholast. V, 21. 22. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 305. 308. alteram graece et latine; priorem vero latine tantummodo exhibens.

Constantinopolitanae synodi epistola ad Georgium. Data anno 360. Synodus Georgium, Alexandriae episcopum, certiorem facit de depositione Aetii, diaconi sui. Theoderet. II, 28.

Alexandrinae synodi epistola ad Iovianum; data anno 363. Athanasius post mortem Iuliani Alexandriam regressus synodum convocat, et Ioviano fidem suam rectam veramque proponit. Theodoret. IV, 3. Athanas. tom. III. pag. 780. Nicephorus X, 42. Mansi Collect. conc. tom. III. pag. 365.

Antiochenae synodi epistola ad Iovianum; scripta 363. Macedoniani Acacianique imperatori fidem Nicaenam confirmatam porrigunt. Socrates III, 25. qui istum fidei libellum e Sabini Act. syn. collect. hausit. Sozom. VI. 4. Epiphan. Scholast. VII, 4. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 369.

Romanae synodi epistola ad episcopos Macedonianorum; data anno 366. Liberius, Romae episcopus, Macedonianos, fidei Nicaenae confessionem offerentes, convocata synodo in communionem recipit. Socrates IV, 12. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 213. 377.

Romanae synodi epistola ad episcopos Illyricos. Scripta est anno 369. Damasus synodi fidem Nicaenam confirmatam, haeresesque damnatas nuntiat. Sozom. VI, 23. Theodoret. II, 22. Epiphan. Schloast. V, 29. Holstenius in Rom. collect. bipart. pag. 265. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 443. Cf. Merenda Gesta Damasi pag. 16. 200.

Illyricorum episcoporum synodica epistola ad Orientales. Data est anno 375. Occidentales episcopi Orientalibus fidei Ni-

caenae confirmationem mittunt. Theodoret. IV, 9. Epiphan. Scholast. VII, 10. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 386.

Constantinopolitanae synodi epistola ad episcopos Romae congregatos; scripta anno 381. Episcopi Constantinopoli congregati, quod ad synodum Romae celebrandam invitati haud advenerint, semet excusant. Theodoret. V, 9. Epiphan. Scholast. IX, 14. Mansi Collect. conc. tom. III. pag. 581.

Romanae synodi epistola ad Orientales episcopos; data anno 382. Non solum Apollinarem sed etiam Timotheum, eius discipulum, depositum atque a communione Ecclesiae remotum esse per hasce litteras Orientalibus significavit Damasus. Theodoret. V, 10. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 427.

Eiusdem epistola contra diversas haereses. Theodoret V, 11. Cf. Merenda Gesta Damasi pag. 109. sq.

Fidei symbola.

Nicaenum symbolum, editum anno 325. Exhibetur fides catholica damnata Arii haeresi. Sed quae illa fides, quam patres Nicaeni constituerunt, quae porro illa haeresis, quam damnaverunt, sit, ea haudquaquam expedita est quaestio. Nam ipsius symboli verba per se sunt parum perspicua. Vulgo quidem statuitur, synodum Filium ab aeterno a Patre necessitate naturali procreatum unius eiusdemque cum illo esse naturae substantiaeque, id quod iam prius Dionysius Romanus et Athanasius postea opinati sunt, sanxisse. Sed de aeterna ista Filii procreatione nil certi synodus constituit. Verbis vero, quibus Filius γεννηθεὶς ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός, sive ὁμοούσιος τῷ πατρὶ dicitur, damnatur

Arianum (si vere Arianum fuit) ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο ob hanc unice causam, teste Eusebio, quoniam illam locutionem, quae in Filii creaturas potius caderet, de ipso Filio usurpari, parum consentaneum videbatur. Ceterum synodus a Constantino imperatore, de nulla alia re aeque ac de Ecclesiae pace sollicito, iussa catholicam de Filio doctrinam tam vage constituit, ut omnes, quae de eius natura tum temporis agitabantur, sententiae in illam quadrarent, tummodo divinitas Filii illaesa relinqueretur. Quomodo vero postea Athanasius ista symboli ambiguitate abusus sit ad suam doctrinam Ecclesiae obtrudendam, et quae alia de hac re praepedita disputari possent, iam fusius exponere alienum foret. E nostris symbolum habet Socrates lib. I. c. 8. Quanquam codices sunt, qui l. l. symbolum omittant, summo tamen iure id locum suum tueri in annotationibus probavit Valesius. Cur Sozomenus fidem Nicaenam exponere reformidarit, iam supra vidimus. Theodoretus denique supervacaneum iudicat fidem exponere, suo tempore in Ecclesia pervulgatam. Socrates symbolum hausit ex epistola Eusebii Caesareensis, quam paulo post adscripsit. Atque symbolum, quod Eusebius exponit, authentiam habet maximam. Cf. Athanas. ep. ad Iovianum §. 3. edit. Montfaucon. tom. II. pag. 781. — Basilius Magnus ep. 125. edit. Benedict. tom III. pag. 215. — Cyrillus Alexandr. epist. ad Anastasium edit. Auberti tom. V. part. 2. pag. 147. Aliique, quos sicuti latinas fidei versiones sis videas in Walchii Biblioth. symb. vet. pag. 77. sqq. Postremo notandum est, varias symboli editiones graecas magna lectionum varietate laborare, et latinarum versionum maiorem adeo esse discrepantiam. Unde recte conclusit Walchius, differentias istas non posse vel memoriae lapsibus, vel librariorum culpae tribui, sed magnam earum partem ex eo originem suam ducere, quod non solum plures formulam nostram latine reddiderint,

9

sed graeca quoque exempla, quibus usi sunt, haud eadem fuerint.

Eusebii et Theognidis poenitentiae libellus ad praecipuos episcopos missus anno 328. Fidei Nicaenae assentiuntur quidem, Arium vero nequaquam damnant. Socrates I, 14. Sozom. II, 16.

Arii atque Euzoii poenitentiae libellus Constantino oblatus anno 329. Ariana de creatione Filii doctrina, sicuti Nicaeni symboli vox ὁμοούσιος omittitur, cui substituta anceps locutio ἐκ θεοῦ πρὸ πάντων τῶν αἰώνων γεγενημένος. Socrates I, 26. Sozom. II, 27. Mansi Collect. concil. tom. II. pag. 1157. Ceterum istam narratiunculam de presbytero, qui Constantiae persuaserit, ut fratrem Constantinum ad Arium ad exilio revocandum commoveret, etiamsi non omnino fictam habeas, longe alia tamen causa erat, quae Constantium ad revocationem Arii compelleret. Id scilicet voluit imperator, ut cuilibet fidem Nicaenam pro arbitrio interpretari liceret, neque ullus, nisi aperte illi contradiceret, condemnaretur.

Symbola Antiochiae promulgata quatuor. Primum symbolum doctrinam de Christo obiter tractat, ommissa voce ὁμοούσιος. Secundum ad Nicaenam fidem propius accedit, omissa tamen voce ὁμοόυσιος. Arianam doctrinam damnat. Auctore Sozomeno lib. III. c. 5. haec formula a Luciano, Antiochiae presbytero et sub finem seculi tertii martyre, profectum et a synodo probatum est adiecta Arii haereseos damnatione. Tertium, Constanti in Gallia oblatum, quanquam ab Ariana doctrina recedit, vocem ὁμοούσιος tamen excludit. Quartum denique, quod vulgo fides prolixior dicitur, verbis tantummodo utens e

sacra scriptura desumtis, Christum dicit verum atque perfectum deum κατὰ φύσιν. Arianam doctrinam damnat, sed uti antecedentia symbola vocem ὁμοούσιος omittit. Inter secundum atque tertium intercidit symbolum, ab illa ipsa synodo promulgatum, quod apud solum Athanasium De synodis §. 24. obvium est. Cuncta ista symbola eo consilio ab Orientalibus edita sunt, ut quanto ab Arii erroribus, tanto ab Athanasii dogmatis sese recessisse publice commonstrarent. Primum atque secundum symbolum editum est anno 341, tertium anno 342. et quartum 345. Socrates II, 10. 18. 19. Athanas. De synodis tom. II. pag. 735-739. Nicephorus X, 5. atque IX, 10. 11. primum, tertium ac quartum habet. Hilarius De synodis §. 29. secundum dat. Mansi collect. concil. tom. III. pag 1339-1346.

Symbola Sirmii exposita tria. Primum symbolum, editum anno 351, Nicaenam fidem tuetur, praeterquam quod vocem ὁμοούσιος omittit. Secundum, scriptum anno 357, Arianae doctrinae favet, atque vocem ὁμοούσιος et ὁμοιούσιος reiiciens Filium Patri dignitate ac maiestate cedere statuit. Tertium, omissa voce ὁμοούσιος, Filium docet Patri κατὰ πάντα ὅμοιον. Postremum symbolum a Marco, Arethusae episcopo, Sirmii quidem compositum, sed Arimini demum praelectum est anno 359. Socrates II, 30. 37. Athanas. De synodis tom. II. pag. 721. 742. 744. Hilarius De synodis col. 1174. 1156. primum ac secundum dat; sicuti Nicephorus IX, 13. 31. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 257-266.

Fidei expositio Acacii, in synodo Seleuciensi praelecta anno 359. Haec fides voces ὁμοούσιος, ὁμοιούσιος atque ἀνόμοιος damnat, et Filium Patri quoad voluntatem tantum parem esse

docet. Sed ab ipsa synodo improbata est. Socrates II, 40. Athanas. De synodis tom. II. pag. 746. Epiphan. Haeres. 73. §. 25. Hilarius, qui synodo interfuit, Contra Constant. libr. II. §. 13. sq. Oper. tom. II. pag. 537. Nicephorus IX, 43. Mansi Collect. concil. tom. III. 319.

Fides a synodo, apud Nicen congregata, promulgata anno 360. Proxime accedit ad tertium illud, quod supra commemoravimus, symbolum Sirmii editum, nisi quod locutionem ὅμοιος κατὰ πάντα praetermittit. Verborum οὐσία atque ὑπόστασις usus plane interdicitur. Filius Patri nuncupatur ὅμοιος. Omnes vero opiniones hisce contrariae damnantur. Socrates II, 41. Theodoret. II, 21. Athanas. De synodis tom. II. pag. 747. Nicephorus IX, 44. Mansi Collect. concil. tom. III. pag. 309.

Fidei libellus a Macedonianis ad Liberium missus anno 365. Macedoniani Romae episcopo Nicaenae fidei confirmationem offerunt. Socrates IV, 12. Sozom. VI, 11. Epiphan. Scholast. VII, 24.

Dialogus Constantii imperatoris cum Liberio, Romae episcopo. Constantius Liberio persuadere studet, ut communicatione cum Athanasio sese abdicet. Quod cum Liberius constanter recusaret, in Thraciam relegatus est anno 355. Theodoret. II, 16. qui, ne ex suo ingenio dialogum fluxisse putes, addit eum perscriptum esse a viris, qui illo tempore vixissent. Cf. *Plancks Geschichte der christl. kirchl. Gesellschaftsverf. Bd. 1. S. 274.*

Quibus scriptis originalibus, a nobis deinceps expositis, si ea, quae apud varios auctores leguntur, diligenter inter sese comparaveris, multas inhaerere discrepantias invenies. Cuius rei

causa in eo posita est, quod quae latine scripta invenirent in graecum verterent sermonem. Variarum vero versionum vix aliter evenire potuit, quam ut essent multae varietates. Sic Constantini epistola ad Saporem, quam Theodoretus habet, ab ea plane differt, quam Eusebius dat. Sensu quidem non differunt, sed dictione atque eo, quod, librariis hallucinantibus, in epistola apud Eusebium statim ab initio totus locus excidit, qui bene suppletur e Theodoreto, epistolam multo integriorem exhibente. Duarum epistolarum synodi Ariminensis ad Constantium, cum, quod Sozomenus IV, 18. disertis verbis dicit, e latino sermone in graecum versae sint, aliam apud Athanasium et Socratem, aliam apud Theodoretum versionem habemus. Sic porro epistola Serdicae synodi ad omnes ubique episcopos, atque synodi Alexandrinae epistola ad Iovianum, quae recitantur a Theodoreto, diversae translationis sunt ab iis, quas Athanasius praebet. Pari modo epistolam Constantini II. ad Alexandrinos, et Innocentii epistolas ad clerum populumque Constantinopolitanum, atque ad Ioannem Chrysostomum datas Sozomenus, epistolas Constantii ad Athanasium tres Socrates e latino sermone in graecum versas esse diserte profitentur. Symbolum denique Sirmii expositum secundum ac tertium latine primo editum et deinde in graecum sermonem versum esse dicunt Socrates l. l. et Sozomenus IV, 6. De tertio tamen symbolo Montfaucon ad Athanas. De synodis tom. II. pag. 721. annotat haec: „Latinam hancce fidem primo fuisse editam deinde graece versam aiunt Socrates et Sozomenus. Quos tamen hallucinari putant viri complures eruditissimi, quod a Marco Arethusio, graeco homine, a ceteris episcopis electo, concinnata fuerit, ut Germinius, oculatus testis, ennarrat in epistola sua ad Rufianum apud Hilarium Fragm. 14. sub finem.

Quod itidem confirmatur subscriptionibus, quas affert Epiphanius Haeres. 71. num. 22. ubi Marcus Arethusius primus subscribit, maximaque subscribentium pars graeci episcopi sunt. Aliam affert Valesius rationem, ut probet, eam graece fuisse editam, quia nempe Athanasius, ubi affert monumenta, e latino sermone in graecum versa, de ea re perpetuo admonere soleat. At non adeo firmum est hoc argumentum. In Apologia quippe ad Constantium pag. 309. epistolam affert, e graeco latine versam, quin illud indicet. Itaque graece an litine primum edita fuerit illa fides, incertum est.“ Omnia denique Occidentalium scripta, quae apud nostros auctores occurrunt, e latino sermone in graecum esse translata, etiamsi hoc tacent, per se patet. Quod ad primariam de hac re quaestionem attinet, quaenam illarum versionum, quarum praesertim textus originalis periit, sit auctoritas, cum dictione quidem varient, sensu vero congruant, parum de earum integritate detrahi statuendum est.

Iam vero enumeratis atque examinatis scriptis originalibus, ad alterius generis fontes, quibus Socrates, Sozomenus ac Theodoretus in scribenda sacra historia usi sunt, ad auctores scilicet historicos enumerandos atque examinandos accedamus.

Pars II.

Auctores historici.

Quibus historicis Socrates auctoribus usus sit, ipse in exordio libri secundi his profitetur verbis: *Ἡμεῖς οὖν πρότερον Ῥουφίνῳ ἀκολουθήσαντες, τὸ πρῶτον καὶ τὸ δεύτερον τῆς ἱστορίας βιβλίον ἢ ἐκείνῳ ἐδόκει συνεγράψαμεν. Ἀπὸ δὲ τοῦ τρίτου ἄχρι τοῦ ἑβδόμου βιβλίου τὰ μὲν παρὰ Ῥουφίνου λαβόντες, τὰ δὲ ἐκ διαφόρων συναγαγόντες, τινὰ*

δὲ καὶ παρὰ τῶν ἔτι ζώντων ἀκούσαντες ἐπληρώσαμεν. Ὕστερον μέντοι συντυχόντες Ἀθανασίου συντάγμασιν, ἐν οἷς τὰ κατ' ἑαυτὸν ὀδύρεται πάθη, καὶ ὅπως διὰ τὴν διαβολὴν τῶν περὶ Εὐσέβιον ἐξωρίσθη, ἔγνωμεν δεῖν πιστεύειν μᾶλλον τῷ πεπονθότι, καὶ τοῖς γινομένων τῶν πραγμάτων παροῦσιν, ἢ τοῖς καταστοχασαμένοις αὐτῶν, καὶ διὰ τοῦτο πλανηθεῖσιν. Sozomenus ac Theodoretus de scriptoribus, unde hauserunt, nullibi in universum exposuerunt. Passim quidem non solum a Socrate, verum etiam a Sozomeno et Theodoreto auctores citantur. Quae tamen citata iam cumulare, importunum foret. In singulis scriptoribus recensendis, quo iam procedit commentatio, aptius collocabuntur. Nam ut tibi persuasum habeas Socratem ceterosque ex auctoribus, quos infra recensebimus, revera hausisse, quo possis opera auctorum illorum cum nostris comparandorum supersedere, ipsos citatos auctores exponere commodissimum videtur. Iam vero cum Socrates, Sozomenus ac Theodoretus ex Eusebii Vita Constantini Magni res sub eodem imperatore in Ecclesia gestas, quibus historias suas ordiuntur, postissimum hauserint, hic libellus primus esto, quem examinemus.

Eusebii Pamphili Vita Constantini Magni[89]).

Prae ceteris tenendum est, non res a Constantino gestas memoriae prodendi, sed eius virtutes unice celebrandi[90]) Eusebium

---

89) Citatum hunc librum invenies Socrat. lib. I. cap. 1. 8. 10. 16. Sozom. lib. I. cap. 3. Theodoret. lib. I. cap. 13. Gothofredum aliosque, qui Eusebium huius libri auctorem negant, fuse refutat Hanke Script. Byzant. pag. 81-86.

90) Ipse Eusebius lib. I. cap. 11. de consilio suo ita: Τὰ μὲν οὖν πλεῖστα καὶ βασιλικὰ τοῦ τρισμακαρίου διηγήματα, συμβολάς τε καὶ

habuisse consilium. Hinc fluxerunt illae laudes, quae Constantinum ubicunque strenuissimum ecclesiae Christianae protectorem, rarius vero quamvis multis maculis adspersum, ceteroquin tamen insignem, principem celebrant. Ex eodem illo consilio prodiit, quod quibus laus Constantino conciliari videretur, ea mire exaggeraret, sin minus, res sive detorqueret, sive omnino taceret auctor. Etenim si omnibus illis virtutibus Constantinus praeditus fuisset, quibus eum praeditum extollit Eusebius, nemo unquam princeps extitisset insignior, nemo clarior. Attamen sibimet ipse contradicit auctor. De eo potissimum, quod sub Constantini imperio iudicum gladii otiosi iacuerint [91]), paterno principis amore potius, quam vi ac dominatione, populos coercente, gloriabundus, ob quam clementiam imperatorem collaudat, ob eandem alio loco a sese impetrare non potuit, quin eum a multis reprehensum confiteatur [92]). Quis porro credat, eius celebrari potuisse clementiam atque humanitatem, qui, ut alia plura taceam facinora [93]), ne filio quidem suo pe-

---

παρατάξεις πολέμων, ἀριστείας τε καὶ νίκας καὶ τρόπαια τὰ κατ' ἐχθρῶν, θριάμβους τε ὁπόσους ἤγαγε, πρός τε τὸ συμφέρον ἑκάστου διωρισμένα, νόμων τε διατάξεις, 'ἃς ἐπὶ λυσιτελείᾳ τῆς τῶν ἀρχωμένων πολιτείας συνετάττετο, πλείστους τ'ἄλλους βασιλικῶν ἄθλων ἀγῶνας, τούσδε παρὰ τοῖς πᾶσι μνημονευομένους παρήσειν μοὶ δοκῶ, τοῦ τῆς προκειμένης ἡμῖν πραγματείας σκοποῦ μόνα τὰ πρὸς τὸν θεοφιλῆ συντείνοντα βίον λέγειν τε καὶ γράφειν ὑποβάλλοντος.

91) Lib. III. cap. 1.

92) Lib. IV. cap. 31.

93) Veluti duos Francorum principes bello captos Constantinus feris obiici iussit, quo gentis primores a rebellatione deterrerentur. Eodem supplicio affici iussit Bructeros captos. Eunomius Paneg. VI. 12. 3. Pari modo bello captos feris proiecit testante Zosimo III. 17.

percit [94]). Nihilominus Eusebius ita: *Θεὸς νικητὴν αὐτὸν παρὰ τοῖς πᾶσιν ἀνεκήρυττεν, ἐπιφοβόν τε ἐχθροῖς καὶ πολεμίοις καθίστη, οὐκ ὄντα τὴν φύσιν τοιοῦτον, ἡμερώτατον δὲ καὶ πρᾳότατον καὶ φιλανθρωπότατον, εἴ τίς ποτε καὶ ἄλλος* [95]). Verum enimvero, urgente veritate, ipse adeo Eusebius Constantini vitia aperte profiteri cogitur [96]). Quae tamen eo quantum fieri potest tegere studet vanus auctor, quod imperator propter insitam animo bonitatem malignis hominibus nimium crediderit. Quod si porro tres Constantini filios, tanquam sanctae Trinitatis effigiem (quarti duntaxat, a patre crudeliter obtruncati, nulla fit mentio) celebratos [97]) deprehendimus, quis demum aequo animo hoc ferat? Atque de Constantini filiorum educatione ad humanitatem pietatemque quae Eusebius gloriatur [98]), experientia parum probavit. Ut denique Constantini maiestas eo clarior fiat atque excelsior, portenta portentis adduntur [99]). Ideoque omnia praeclare gesta Constantinus perpetravit ut deo propter summam pietatem sanctimoniamque [100]), quod minime sibi persuasum habere potuit Eu-

---

4. De caede Licinii, sororis suae mariti, vide Eutrop. X, 6. De supplicio Sopatri philosophi cf. Zosimum II, 40. 4.

94) Crispum a Constantino patre necatum memorat Zosimus II, 29. 3.

95) Libr. I. cap. 46.

96) Libr. IV. cap. 54.

97) Libr. IV. cap. 40.

98) Libr. IV. cap. 51.

99) Quae Libr. I. cap. 36. 37. Libr. II. cap. 4. 5. 12. Libr. IV. cap. 5. mirabilia leguntur, historicum maxime dedecent.

100) Ad hancce Constantini pietatem quaecunque torquet auctor. Sic Libr. III. cap. 3. tradit Constantinum sese pingi iussisse crucis si-

sebius, carissimus princeps. Hactenus Constantinus ab Eusebio summis extollitur laudibus [101]. Ab altera vero parte auctor haud dubie Constantini laudi male consuluit, quod eum episcoporum non tam clementem patronum, sed potius humilem paene dixerim servum exhibuit. Si fidem Eusebio habemus, imperator clericis adeo addictus erat, ut sine illis esse haud sustineret. Sed cogitemus episcopum haec tradentem suo ordini haud inimicum.

---

gno supra capite posito, atque supter pedibus dracone prostrato, eo scilicet consilio, ut Iesaiae vaticinium (XXVII, 1.) ratum fieret. Porro in nummis, qui Constantinum expansis in precantium modum manibus exhibent (Eusebio IV, 15. interprete indicium *ὅση αὐτοῦ τῇ ψυχῇ πίστεως ἐνθέου ἐπεστήρικτο δύναμις*) nil aliud a viris doctis deprehensum est, nisi imitatio Alexandri Magni, in nummis haud raro resupino capite repraesentati, quem exemplar sequi gaudebat Constantinus. Cf. Euseb. Paneg. VI, 17, 1. 2. et. 21, 5. 6. Eckhel Doctr. num veter. vol. VIII. pag. 80. *Völkels Beschreibung einer Silbermünze Konstantin des Grossen S.* 80. Eadem est ratio eorum nummorum, qui interprete Eusebio IV, 73. in coelum Christianorum recipiendum exhibent Constantinum. Nam manus e nubibus porrecta non utique illam interpretationem iubet, quandoquidem a gentilibus quoque relatio inter deos pari modo depingebatur. Cf. Eckhel l. l. pag. 93.

101) Hoc nimium Eusebii laudandi studium merito reprehendit Socrates in exordio libri primi. (— *τῶν ἐπαίνων τοῦ βασιλέως καὶ τῆς πανηγυρικῆς ὑψηγορίας τῶν λόγων μᾶλλον, ὡς ἐν ἐγκωμίῳ, φροντίσας, ἢ περὶ τοῦ ἀκριβῶς περιλαβεῖν τὰ γενόμενα.*) Cf. quae Heynius in universum de panegyricis circa Constantini tempora florentibus docte disputavit. Opusc. Acad. tom. VI. pag. 92. sqq. Quem locum, ut panegyricorum illius temporis ingenio perspecto eo melius procederet de Eusebio iudicium, libenter apposuissem, nisi longior esset.

Id porro historicam Eusebii fidem admodum suspectam reddit, quod, Constantini Christiani nimius laudator, de eius adversariorum gentilium fama quantum fieri potest detrahere studet. Quod si Licinium crudelem, avarum libidinosumque dicit, nos consentientes habeat, sin vero eundem secundi belli cum Constantino auctorem, idque bellum unice a Constantino ait susceptum, ut terris a Licinio vexatis religionique Christianae ab eodem suppressae subveniret, et sibimet ipsi, et gentilibus historicis refragatur [102]. Quis tandem est, qui non aversetur Constantini crudelitatem, qua ad imperium suum stabiliendum erga Licinium, sororis suae maritum, eiusque familiam saeviit? Attamen Eusebius illam eo oblitterare conatur, ut Licinium suosque belli iure diiudicatos damnatosque fingat [103].

Restat ut paucis exponamus, quid nobis statuendum videatur de isto crucis signo, quod Constantino, contra Maxentium proficiscenti, in coelo apparuisse auctor est Eusebius [104]. Nam summi momenti est res, quandoquidem eo ipso Constantinus ad Christianam religionem adactus esse dicitur. Quocunque demum modo res sese habuerit (nam miraculi interpretatio dubia est, neque virorum doctorum coniecturis de hac re iuvat addere novam), hoc potissimum nos subit mirari, quod Eusebius rei, quam non solum Constantinum, sed eius etiam milites spectasse ipse testatur, nullum alium auctorem affert, quam imperatorem iam pridem mortuum, qui sese de hac re addito iureiurando certi-

102) Zosimus II. 22, 1. 6.

103) Libr. II. cap. 18.

104) Libr. I. cap. 28 - 32.

orem fecerit. Porro praeter Eusebium aequalis scriptor hanc rem attigit nemo. In superiori denique parte labari, quod Christus in somnio apparens Constantinum secundum crucis signum in coelo conspectum fabricare iusserit, filios imperatoris, ait Eusebius, fuisse depictos, cum tamen anno 311., quo illa res accidit, unus tantummodo filius ei natus esset. Quale tandem signum Constantinus fabricari iussit, talia iam multo ante in usu fuisse, veteres nummi ac monumenta [105]) testantur. Constantinum igitur signo iam diu usitato in proeliis usum esse, idemque manu tenentem Romae sese depingi iussisse [106]), nemini mirum videbitur. Neque postremo subiecta illi imagini inscriptio latina, quae ab Eusebio in graecum sermonem versa sic habet: *Τούτῳ τῷ σωτηριώδει σημείῳ, τῷ ἀληθεῖ ἐλέγχῳ τῆς ἀνδρείας, τὴν πόλιν ὑμῶν ζυγοῦ τυραννικοῦ διασωθεῖσαν ἠλευθέρωσα. Ἔτι μὴν καὶ τὴν σύγκλητον καὶ τὸν δῆμον Ῥωμαίων τῇ ἀρχαίᾳ ἐπιφανείᾳ καὶ λαμπρότητι ἐλευθερώσας ἀποκατέστησα*, neque haec, inquam, inscriptio de isto miraculo utique cogitari iubet. Ideoque res fabellae similior est quam veritati. Cetera, quibus Eusebius contra veritatem peccavit, cum ea magis ad politicam quam ad sacram historiam spectant, enumerare mittimus, ne praeter rem logiores simus.

Athanasii scripta.

Athanasius Socratis, Sozomeni ac Theodoreti primarius fons haud dubie nuncupandus est. Cum enim nostri auctores Arianis contentionibus describendis praecipue operam darent, ampliorem certioremque auctorem Athanasio habere poterant neminem.

---

105) Eckhel Doctr. num. veter. vol. VIII. pag. 494.

106) Vit. Constant. lib. I. cap. 40. Histor. eccles. lib. X. cap. 9.

Hic enim vir non solum iis temporibus vixit, quibus illae rixae maxime vigebant, verum etiam earum partes egit maximas. Cum vero omnia Athanasii scripta numerosissima ita fere comparata sint, ut praeter res dogmaticas nonnulla historica quoque admixta habeant, ea omnia pertractare longum foret. Verum potius iis recensendis commode acquiescere possumus, quorum argumentum sive mere sive maximam saltem partem historicum est, quibusque Socrates, Sozomenus ac Theodoretus prae ceteris usi sunt. Qua quidem in re ita versabimur, ut primum singulorum argumenta exponamus, deinde addamas epicrisin. Ordinem vero eum sequemur, quem constituit doctissimus Montfaucon.

Apologia contra Arianos [107]).

Athanasius, ex Serdicensis synodi decretis ac imperatorum Constantis et Constantii iussu patriae suae restitutus, cum compe risset, illas tamdiu iactatas totiesque confutatas criminationes de Arsenii nece, de calice fracto, de mensa subversa etc. rursum ab Arianis pervulgari, qui etiam niterentur, haec ipsa denuo in iudicium vocare, hancce apologiam edidit, ubi varia monumenta et epistolas de hac re conscriptas in unum collegit, ratus nihil aeque ad sui purgationem conducturum, ac si ex ipsis rerum gestarum actis

107) Haec apologia non diu post Athanasii ex secundo exilio reditum, qui anno 347. contigit, scribi potuit. Prodit hoc ex ipsius apologiae cap. 59., ubi Athanasius, de postremo suo exilio agens, ait *ἃ νῦν πέπονθα*, quo indicat, se paulo post reditum suum hanc apologiam conscripsisse.

causae suaé sinceritas eluceret. Horum monumentorum (quorum, quod in singulis supra vidimus, nostri auctores suis historiis plurima inseruerunt) duae sunt partes, ab ipso Athanasio praepostero ordine digestae. Prima complectitur epistolas synodicas aliasque de causa Athanasii conscriptas, ab anno 340. ad annum 347., quorum commune argumentum est confutatio calumniarum, ab Eusebianis in synodo Tyria, in Mareote et alibi adversus Athanasium structarum. Secunda pars historiam Meletii rerumque ab Ischyra, Arsenio et Eusebianis contra Athanasium gestarum, earundemque monumenta comprehendit, ab anno 300. usque ad 338.

Apologia de fuga sua [108]).

Huius apologiae conscribendae [109]) causam enarrat Athanasius in ipso exordio. Nimirum Leontius Antiochiae, Narcissus Neroniadis et Georgius Laodiceae episcopus, Arianorum antesignani, cum aegre ferrent, Athanasium, quem e medio sublatum praeoptabant, fuga sese proripuisse, ac Syriani ducis, ad eum

---

[108]) Haecce apologia non solum pluries apud nostros commemorata legitur, sed Socrates etiam ac Theodoretus totos ejus locos transscripserunt. Socrat. libr. II. cap. 28. libr. III. cap. 18. Theodoret. libr. II. cap. 5. 13. 14. 15. Sozom. libr. V. cap. 12.

[109]) De tempore, quo haec apologia conscripta est, Montfaucon tom. I. pag. 319. ita: Arbitramur, anno 357. vel. 358. eam scriptam esse. Non potest quippe ante annum 357. edita fuisse, cum eo ipso anno contigerit Hosii lapsus, in hoc opere memoratus. Nequit etiam ultra annum 358. differri, cum Leontius, qui eo anno diem obiit supremum, haud semel ut superstes memoratur.

deducendum missi, evasisse manus, fugam eius criminari aggressi, timiditatis illum arguebant, animumque in periculis pro ecclesia sua subeundis ignavum exprobrabant. Quam ut propulset contumeliam Athanasius, praemissis quibusdam de persecutione adversus Liberium, Hosium et alios, exempla affert veterum patrum, prophetarum, necnon Apostolorum, imo ipsius Christi, qui non solum verbo docuerit, esse in persecutione fugiendum ab una civitate in aliam, sed et ipse ad necem conquisitus haud semel se subduxerit. Epistolam claudens enarrat quo pacto, obsessa a Syriano duce ecclesia, in qua tum versaretur, tantum evaserit periculum.

Epistola ad Serapionem de morte Arii [110]).

Rogatus ab ipso Serapione Athanasius, ut Arii mortis rationem ad se transmitteret, illam, quam paucis in epistola ad episcopos Aegypti et Libyae tetigerat [111]), hic fusius prosequitur [112]), prout eam a Macario presbytero, oculato teste, didicerat.

---

110) Sozom. libr. I. cap. 29. 30. epistolae dat argumentum. Theodoret. libr. I. cap. 14. locum transscribit. In eo autem differt, quod epistolam πρὸς 'Απίωνα inscribit. Sed Valesius in notis ad l. l. dicit, in vulgatis editionibus legi πρὸς Σεραπίωνα, quod igitur restituendum.

111) Epist. ad episc. Aegyp. et Libyae cap. 19. tom. I. pag. 289. Cf. Socrates libr. I. cap. 30.

112) Montfaucon tom. I. pag. 340: Haec epistola scripta est anno 358., cum Athanasius in ea de Hosii obitu loquitur, qui ut citius sub finem anni 357. obiit.

Epistola de synodis [113]).

Qua causa ad hanc epistolam conscribendam [114]) permotus fuerit Athanasius haud obscure indicat in ipso exordio, ubi se ait illam exarasse cum ut amicorum desiderium discendique studium expleret, tum ut ne illi, multis varie synodi gesta narran-

---

[113]) Socrates, qui locum ex hac epistola transscribit, eam citat sub titulo πρὸς τοὺς γνωρίμους, libr. II. cap. 37, Sozomenus vero libr. IV. cap. 17. sub inscriptione πρὸς τοὺς ἐπιτηδείους. Socrates libr. I. cap. 13. allegat Athanasii librum, Synodicum inscriptum, e quo nonnullas excerpit Nicaenarum subscriptionum, quae non extant in hac epistola; unde diversum omnino hoc opus fuisse censendum est. Non enim ad praesens Athanasii institutum pertinet, synodos catholicas recensere, ipseque Socrates, cum alio nomine loco supra laudato hunc librum citaverit, satis innuit diversum eum a Synodico esse. Suspicaris fortassis a Socrate sub Synodico intelligi Athanasii epistolam de decretis synodi Nicaenae, sed nec illic istae subscriptiones leguntur.

[114]) De tempore, quo Athanasius hanc epistolam exaraverit, Montfaucon tom. II. pag. 714. ita: Epistola de synodis Ariminensi et Seleuciana sub finem anni 359., quo celebratae illae sunt, conscriptam fuisse, e pluribus eiusdem locis concluditur. In ipso quippe initio narraturum se, Athanasius ait, res in ea gestas synodo, quae tunc in omnium ore versaretur. Liquidius autem testatur cap. 4. professionem Sirmianam consulatum eius anni praeferre, quo ipse scribebat. Consules nempe Eusebius et Hypatius, Sirmiensi fidei adscripti, iidem erant anno 359. Tum vero liquet ex appendice, quam huic epistolae attexuit Athanasius, nondum allatas sibi fuisse res omnes Arimini gestas, quando hoc opusculum aggressus est. Quamobrem nihil de patrum Ariminensium lapsu, nihil de legatis Arianorum astutia Nicae circumventis, hic habetur, quae tamen eo ipso contigere anno.

tibus, animi penderent. Porro licet hic unus Athanasii fuisse videtur scopus, ut res Arimini et Seleuciae actas enarraret, post absolutam tamen hanc rem ad alia progreditur, atque ut fluctuantem Arianorum in fide sua animum perspicue commonstret, varias variis locis temporibusque ab illis editas fidei formulas recenset et ad verbum refert. Iis quoque absolutis τοῦ ὁμοουσίου vocem ab Arianorum obiectionibus vindicat.

Socratem, Sozomenum ac Theodoretum Arianarum rixarum neminem habuisse auctorem accuratiorem certioremque Athanasio, illis plus quam ullus alius implicito, iam supra a nobis monitum est. Verumtamen complura, quae ab eo tradita sunt, viri docti limis adspiciunt oculis. Quae quidem suspicio ex odio praecipue orta videtur, quo fere Athanasius in Arianos sibi inimicissimos invehitur. Sed cogita demum quibus Arianorum conspirationibus, calumniis, fraudibus Athanasius agitatus fuerit, et illam indignationem acerbitatemque facile excusabis. Huc accedit quod Athanasius non tam in ipsos Arianos, quam in eorum doctrinam odio flagrabat. Dummodo, quod diligentis atque circumspecti est critici, ea seiunxeris, quae ex animo auctoris excerbato profecta facili negotio distingues, et cetera habebis verissima.

Prae ceteris vero Athanasii de morte Arii narratio, quae habetur in epistola ad Serapionem, saepius ut spuria reiecta est [115].

---

[115] Hancce narrationem sive addubitarunt, sive condemnaverunt Socinus, Zwicker, Sanden, Arnold. Quin imo peculiaris extat Angli cuiusdam libellus: Mors Arii commentitia. De quibus vide *Walchs Einleitung in die Religionsstreitigkeiten ausser der E. L. K. Bd.*

Sed hac in re viri docti haud dubie licentius versati sunt. Nam quomodo tandem Athanasius ementitus esse potest rem, quam multi alii praeter eum tradunt [116]), cuiusque memoriam sua etiamnum aetate servatam lateque sparsam Socrates atque Sozomenus asserunt. Porro Athanasius illius rei oculatum testem affert, Macarium scilicet presbyterum, qui illo tempore, quo Arius obiit, Constantinopoli commoraretur. Non igitur e dubia fama, sed e certo fonte rem haustam tradidit. Atque quod iam supra diximus, Athanasium non adeo Arium eiusque sectatores ipsos, verum potius eorum doctrinam odio persequi, id hoc loco probatur egregie. De morte Arii perscribere diu animo, ait, sese haesitasse, timentem *μὴ ὡς ἐπεμβαίνοντά μέ τις τῷ θανάτῳ τοῦ ἀνθρώπου λογίσηται* [117]). Talia profitentem Athanasium mendacii accusare, ecquis sustinebit? Quod vero de morte Arii addit iu-

---

IV. *S.* 83. Eandem sententiam Beausobre quoque amplexatus est Biblioth. germ. tom. 39. pag. 37.

116) Praeter Athanasium in hac epistola ad Serapionem et in epistola ad episcopos Aegypti et Libyae cap. 19. Oper. tom. I. pag. 289. atque nostros auctores (Socrates libr. I. cap. 38. Sozom. libr. I. cap. 29. 30. Theodoret. Hist. eccles. libr. I. cap. 15. Fabul. haeretic. libr. IV. cap. 1. et De vitis patr. cap. 1.) de morte Arii exposuerunt Gregor. Nazianz. Orat. XXIII. Oper tom. I. pag. 415. — Rufinus Hist. eccles. libr. I. cap. 13. — Ambrosius De fide libr. I. cap. 9. — Marcellinus et Faustus in libello precum ad Theodos. Oper. Sirmondi tom. I. p. 138. — Epiphan. Haeres. LXIX. §. 10.

117) Pari modo dicit de Arii morte expositurus in epist. ad episc. Aegyp. et Libyae l. l. *Πᾶσι μὲν οὖν ἀνθρώποις κοίνον τοῦ βίου τέλος ὁ θανάτος ἐστι, καὶ οὐ δεῖ τίνας ἐπεμβαίνειν, κἂν ἐχθρὸς ᾖ ὁ τελευτήσας, ἀδήλου ὄντος μὴ ἕως ἑσπέρας καὶ αὐτοὺς τοῦτο καταλάβῃ.*

dicium: *Αὐτὸς γὰρ ὁ κύριος δικάσας ταῖς ἀπειλαῖς τῶν περὶ Εὐσέβιον, καὶ τῇ εὐχῇ τοῦ Ἀλεξάνδρου, κατέκρινε τὴν Ἀρειάνην αἵρεσιν, δείξας αὐτὴν ἀνάξιον οὖσαν τῆς ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας, καὶ πᾶσι φανερώσας, ὅτι κἂν παρὰ βασιλέως καὶ πάντων ἀνθρώπων ἔχῃ τὴν προστασίαν, ἀλλὰ παρ᾽ αὐτῆς τῆς ἐκκλησίας κατεκρίθη. Δεδόκται οὖν οὐ θεοφανὲς, ἀλλ᾽ ἀσεβὲς τὸ χριστιομάχον· ἐργαστήριον τῶν Ἀρειομανιτῶν*, hoc inquam iudicium, ex Athanasii ingenio unice profectum, quilibet, prout arbitrium est, salva narrationis veritate, sive probet, sive reiiciat. Iam vero de tempore, loco, quo gesta sit res, aliisque auctorum discrepantiis a viris doctis disceptatur. De quibus tamen accuratius disserere nos supersedere possumus, quandoquidem de his rebus a doctissimo Walchio 118) abunde disputatum est. Quem sis consulas.

Sabini Actorum synodalium collectio 119).

Sabinus, Macedonianorum Heracleae, Thraciae urbis, episcopus, Theodosii Magni tempore vixit 120). Composuit *Συναγωγὴν τῶν συνοδῶν*, a concilio Nicaeno ad sua usque tempora, quae tamen collectio temporis iniuria periit. Cum vero apud Socratem, cuius iudicandi veritatem iam aliquoties vidimus, plura de Sabino occurrunt iudicia, operae sane pretium est, ea diligenter collecta adscribere. Socrates igitur de Nicaenae fidei veritate locutus ita pergit 121): *Σαβῖνος, ὁ τῶν ἐν Ἡρακλείᾳ τῆς Θρᾴκης Μα-*

118) *Historie der Ketzereien Bd. 2. S. 500. u. f.*

119) Socrates lib. II, c. 39. lectores ad hanc Collectionem relegat, qui quae in synodo Seleuciensi gesta sunt accuratius cognoscere velint. Eandem citat lib. III. c. 10. 25.

120) Vossius De historicis graecis libr. IV. pag. 216.

121) Libr. I. cap. 8.

κεδονιανῶν ἐπίσκοπος, συναγωγὴν ὧν διάφοροι ἐπισκόπων σύνοδοι ἐγγράφως ἐξέδωκαν ποιησάμενος, τοὺς μὲν ἐν Νικαίᾳ ὡς ἀφελεῖς καὶ ἰδιώτας διέσυρε, μὴ αἰσθανόμενος, ὅτι καὶ αὐτὸν Εὐσέβιον, τὸν μετὰ πολλῆς δοκιμασίας τὴν πίστιν ὁμολογήσαντα, ὡς ἰδιώτην διαβάλλει. Καὶ τινὰ μὲν ἑκὼν παρέλιπεν, τινὰ δὲ παρέτρεψεν, πάντα δὲ πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν μᾶλλον ἐξείληφεν. Καὶ ἐπαινεῖ μὲν τὸν Παμφίλου Εὐσέβιον, ὡς ἀξιόπιστον μάρτυρα, ἐπαινεῖ δὲ καὶ τὸν βασιλέα, ὡς τὰ χριστιανῶν δογματίζειν δυνάμενον. Μέμφεται δὲ τῇ ἐκτεθείσῃ ἐν Νικαίᾳ πίστει, ὡς ὑπὸ ἰδιωτῶν καὶ οὐδὲν ἐπισταμένων ἐκδεδομένῃ. Pariter paulo post Σαβῖνος δὲ, ait, ὁ τῆς Μακεδονίου αἱρέσεως προεστὼς, ἰδιώτας καὶ μὴ ἔχειν γνῶσιν τοὺς ἐκεῖ συνελθόντας φησὶ, κινδυνεύων καὶ αὐτὸν τὸν Καισαρέα Εὐσέβιον ἐπὶ ἀγνωσίᾳ διαβάλλειν [122]). Athanasio porro a criminatione turbarum Alexandriae motarum defenso [123]), ὥστε μάτην, addit, Ἀθανασίῳ τὴν αἰτίαν ἀνάπτουσιν οἱ λοιδοροῦντες αὐτὸν, καὶ μάλιστα Σαβῖνος, ὁ τῆς Μακεδονίου προεστὼς αἱρέσεως, ὃς εἰ διελογίζετο πόσα κακὰ κατὰ Ἀθανασίου οἱ Ἀρειανίζοντες, καὶ τῶν τὸ ὁμοούσιον φρονούντων εἰργάσαντο, ἢ ὅσα αἱ δι' Ἀθανάσιον γενόμεναι σύνοδοι ἀπωδύραντο, ἢ ὅσα αὐτὸς ὁ αἱρεσιάρχης Μακεδόνιος κατὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν διεπράξατο, ἡσυχίαν ἦγεν ἄν, ἢ φθεγγόμενος εὔφημα ἂν πρὸ τούτων ἐφθέγγετο. Νῦν δὲ ταῦτα πάντα ἀποσιγήσας ἐκεῖνα διαβάλλει. Ἀλλ' οὐδ' ὅλως τοῦ αἱρεσιάρχου μνήμην πεποίηται, παντῶς που τὰ τῆς δραματουργίας αὐτοῦ τολμήματα καλύπτειν βουλόμενος. Καὶ τὸ δὴ θαυμαστότερον, οὓς μὲν πέφευγεν Ἀρειανοὺς οὐκ εἶπε κακῶς, ᾧ δε ἠκολούθησε Μακεδονίῳ, τούτου καὶ τὴν χειροτονίαν ἀπέκρυψεν. Εἰ γὰρ αὐτῆς ἐμέμνητο, ἐμέμνητο ἂν πάντως καὶ τῶν ἀδικημάτων αὐτοῦ, ὡς τὰ ἐπ' αὐτῆς γενόμενα δείκνυσι. Cum denique litteras synodi Antiochiae congregatae ad Iulium Romae episcopum propter Athanasium, qui ad eum confugerat, et rursum

122) Libr. I. cap. 9.   123) Libr. II, cap. 15.

Iulii litteras, ad synodum datas, propter earum prolixitatem sese haud adscribere potuisse professus est, haec addit [124]): *Σαβῖνος μέντοι ὁ τῆς Μακεδονίου αἱρέσεως, οὗ καὶ ἤδη πρότερον ἐμνημονεύσαμην, τὰς παρὰ Ἰουλίου ἐπιστολὰς ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν συνόδων οὐκ ἔθηκεν, καίτοι τὴν παρὰ τῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ πρὸς Ἰούλιον οἱ παρέλειπε. Τοῦτο δὲ σύνηθες αὐτῷ ποιεῖν· ἐν οἷς μὲν γὰρ αἱ τῶν συνόδων ἐπιστολαὶ σιγῶσιν ἢ ἀθετοῦσι τὸ ὁμοούσιον, ταύτας σπουδαίως παρατίθεται, τὰς δὲ ἐναντίας ἑκὼν ὑπερβαίνει.*

Rufini Historia ecclesiastica.

Rufinus, Aquileiensis presbyter, Eusebii Pamphili historiae ecclesiasticae versioni suae duos adiecit libros, quibus res in Ecclesia inde a Constantino Magno usque ad Theodosium Magnum gestas complexus est. Chromatii, Aquileiae episcopi [125]), monitu historiam ecclesiasticam concinnavit eo tempore quo, quod in praefatione dicit, dirupta Italiae claustra ab Alarico, duce Gothorum, iacebant. Sed Rufinus, non tam rerum veritatem, quam potius mirabilitatem atque novitatem sectatus, historici nomen parum tuetur. Ideoque fontis historici, qualem eius notionem supra constituimus, vix habet auctoritatem. Atque quae statim in exordio huius commentationis illius temporis historicorum vitia communia enumeravimus, iis Rufinus vel maxime laborat. Etenim nemo mirabilium credulior partiumque studio addictior Rufino [126]). Duos hosce historiae ecclesiasticae libros

---

[124]) Libr. II. cap. 17.

[125]) A quo baptisma acceperat circa annum 372. Cf. Tillemont Memoir. eccl. tom. XII. pag. 34.

[126]) Cum hisce conspirant virorum doctorum de Rufino iudicia. Ioh Georg. Walch. Bibl. patr. 315. „Duos posteriores libros ipse Rufi-

sese conscripsisse partim e maiorum traditionibus, partim ex his, quae sua iam memoria comprehenderat, in praefatione ipse dicit. Nonnullorum, quae ex Athanasio hausit [127]), secundarius demum est fons. Sed etiamsi rei ipse spectator [128]) fuerit Rufinus, sive spectantium [129]) afferat auctoritatem, rerum tamen

---

nus scripsit, iisque historia usque ad mortem Theodosii Magni perducta est, ea autem ratione, ut multa narrentur, quae incerta sunt et parum credibilia, et ostendunt, Rufinum fide et iudicio inferiorem esse Eusebio.“ Cf. Cave Hist. tom. I. litt. pag. 287. Valesius in annott. ad Socratis libr. I. cap. 25.

127) Athanasium pluribus locis citat. Libr. I. cap. 8. 12.

128) Rufinum Aegyptum, Syriam atque Mesopotamiam peragrasse, multaque, quae tradit, suis oculis spectasse, complura loca testantur. Libr. II. cap. 4. de monachis per Aegyptum degentibus sermocinans „quae praesens vidi, ait, loquor, et eorum gesta refero, quorum in passionibus socius esse promerui.“ Cf. Libr. II. cap. 8. Porro Libr. I. cap. 36. dicit: „Hunc Theodorum, qui sub Iuliano cruciatus tulerat maximos, ipsi postmodum apud Antiochiam vidimus etc.“ Libr. II. cap. 8. tandem in Mesopotamia sese asserit monachos aliquot vidisse. Vide Tillemont Memoir. eccles. tom. XII. pag. 43.

129) Libr. I. cap. 5. de Spyridone quae tradiderit, sese ex narratione dicit eorum, qui illum vidissent, comperisse. Libr. I. cap. 9. ita: Quod Indi fidem Christi amplexi sunt, non opinione vulgi, sed ipso Edesio, Tyri presbytero postmodum facto, qui Frumentii comes primo fuerat, referente cognovimus. Libr. 1. cap. 10.: Iberorum ad Christianam religiónem conversionem fidelissimus vir Bacurius, gentis ipsius rex, et apud nos domesticorum comes, cui summa et religionis et veritatis erat cura, exposuit, cum nobiscum Palaestini limitis tunc dux, Hierosolymis satis unanimiter degeret. Putares igitur Rufinum a rerum veritate aberrare non potuisse, quas, sicuti vidimus, sive ipse viderat, sive ab oculatis testibus relata acceperat.

ipsarum incredibilitas omnem paene fidem infringit. Porro Rufinus animum ab odio gratiaque liberum, id quod prae ceteris ab historico efflagitatur, minime habet. Etenim Athanasii eximius laudator in Arium eiusque sectatores invidiose invehitur [130]. Praeterea clericorum, sui ordinis hominum, tam impudens est venerator, ut Constantino adeo imperatori, detracta omni maiestate, humile abiectumque ingenium affingere haud erubescat. Vide modo, quomodo Rufinus Constantinum episcopos in concilio Nicaeno ad concordiam adhortantem inducere a se impetravit. „Deus vos, inquit imperator, constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Et ideo nos a vobis recte iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iu-

---

Attamen illis etiam rebus tot incredibilia admixta sunt, ut parum fidei habeant.

130) Hoc quidem ex oppositis locis clarissime elucescet. Libr. I. cap. 1. dicit auctor: „Arius vir specie et forma magis, quam virtute insignis, et gloriae laudisque ac novitatis improbe cupidus, prava quaedam de Christi fide proferre coepit." Libr. I. cap. 25. de tribus Arianis sectis his utitur verbis: „Ita pestifera illa bestia, quae per Arium primo quasi de inferis extulerat caput, subito triformis apparuit." Longe aliter de Athanasio loquitur Rufinus. Quae ab illo geruntur, ea omnia sanctitatem redolent. Libr. 1. cap. 34. cum Athanasius ut persecutores falleret, iis prudentissime ivit obviam, hoc ex Rufini sententia fecit deo monitus ac tutus. Libr. I. cap. 14. ita disserit auctor: „Verum quoniam tanta ac talia Athanasii gesta sunt, ut magnitudo quidem rerum nihil me praeterire patiatur, multitudo verum rerum gestarum quam plurima cogat omittere, incertus aestuat animus, dum delibrare non valet, quid teneat, quidve omittat. Et ideo pauca nos, quae ad rem pertinent, memorabimus, reliqua eius fama narrabit, sine dubio minora vero nuntiatura. Nam nihil, quod addere possit, inveniet."

dicari. Propter quod dei solius inter vos expectate iudicium, et vestra iurgia, quaecunque sunt, ad illud divinum reserventur examen. Vos enim adeo nobis dati estis dii, et conveniens non est, ut homo iudicet deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit [131]." Monachos denique, quorum acta nescio quo altiori spiritu tradere solet, adeo in deliciis habuit Rufinus [132]), ut beatum sese praedicet, quod eorum manibus sibi benedictum sit.

---

[131]) Libr. I. cap. 2. 5. Libr. I. cap. 16. Constantinum propterea religiosum dicit principem, „quippe qui omni studio et diligentia curaret, quae nostra sunt." Aeque ac Eusebius Rufinus quoque, quod ab ingenio historici est alienissimum, Constantini victorias unice ad eius pietatem refert. Libr. I. cap. 8. dicit Rufinus: „Interea Constantinus pietate fretus Sarmates edomuit, et quanto magis se religiose et humiliter deo subiiceret, tanto amplius deus ei universa subdebat." Si denique eodem loco scribit Rufinus: „Ad Antonium quoque, primum eremi habitatorem, velut ad unum ex prophetis, litteras suppliciter misit, ut pro se ac liberis domino supplicaret. Ita non solum meritis suis, et religione matris, sed et intercessione sanctorum commendabilem se deo fieri gestiebat." cui tandem talia de Constantino persuadebit?

[132]) Libr. II. cap. 4. de monachis per Aegyptum degentibus dicit: Qui consortium vitae et actuum non cum ceteris mortalibus. sed cum supernis angulis habere credebantur. Libr. II. cap. 7. de Dydimo, Aegypti monacho, ita: „Nos divinum nescio quid et supra humanam vocem sonans in eius sermonibus agnovimus." Rufinus ipse aliquamdiu in monasterio Aquilegae degebat. Tillemont Mem. eccles. tom. XII. pag. 34.

Socrates quid de Rufino iudicarit et quomodo in illo usurpando versatus sit, rationem reddit in exordio libri secundi. *Ῥουφῖνος*, ait, *ὁ τὴν ἐκκλησιαστικὴν ἱστορίαν τῇ Ῥωμαίων γλώττῃ συντάξας, περὶ τοὺς χρόνους ἐπλανήθη. Τὰ γαρ κατ' Ἀθανάσιον νομίζει μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου γεγενῆσθαι. Ἀγνοεῖ δὲ καὶ τὴν ἐν Γαλλίαις γενομένην αὐτοῦ ἐξορίαν, καὶ ἕτερα πλειόνα* [133]: *Ἡμεῖς οὖν πρότερον Ῥουφίνῳ ἀκολουθήσαντες, τὸ πρῶτον καὶ τὸ δεύτερον τῆς ἱστορίας βιβλίον ᾗ ἐκείνῳ ἐδόκει συνεγράψαμεν.* Postea vero melioribus acceptis fontibus pergit Socrates: *Διὸ ἠναγκάσθημεν τὸ πρῶτον καὶ τὸ δεύτερον βιβλίον ἄνωθεν ὑπαγορεῦσαι, συγχρώμενοι καὶ ἐν οἷς ὁ Ῥουφῖνος οὐκ ἐκπίπτει τοῦ ἀληθοῦς.* Quod ad rerum ordinem attinet, neque Socrates neque etiam Sozomenus a Rufino sibi imponi passi sunt. Solus Theodoretus, Rufinum temere secutus, mortem Arii brevi post synodum Nicaenam ponit [134], cum tamen post Tyriam demum synodum acciderit. Sed quae mirabilia atque vana hallucinatus est Rufinus, eadem cum eo et Socrates, et Sozomenus, et Theodoretus hallucinati sunt. Praetermittunt quidem, quae Rufinus exponit de diis Aegyptiis [135], quippe qui Aegyptum peragraverit, utpote ab historia ecclesiastica aliena, sed praetermittunt quoque quos Rufinus deinceps enumeravit canones synodi Nicaenae [136], quos male omissos nemo negabit. Postremo Dodwellus [137] contendit Socratem non e Rufini textu originali hausisse, sed e graeca tantum versione.

---

133) De Rufini vitiis historicis vide Du Pin Bibl. des Aut. eccles. tom. III. pag. 144. not. I.

134) Theodoret. libr. I. cap. 14. Cf. Rufin. libr. II. cap. 12. 13.

135) Rufin. libr. II. cap. 24. 25. 26.

136) Lib. I. cap. 6.

137) De iure laicorum sacerdotali pag. 278.

Quod nobis secus videtur, quoniam Socrates, quoties Rufini mentionem facit, semper addit [138]), eum latino sermone historiam ecclesiasticam scripsisse.

Philippi Historia Christiana.

Philippus sub Arcadio et inprimis filio eius Theodosio vixit [139]). Historia Christiana, quam concinnavit, deperdita est. [140]). Sed parva est, sicuti mox videbimus, haec iactura. Socrates de Philippo eiusque historia copiose disserit haec [141]): *Φίλιππος Σιδίτης μὲν ἦν τὸ γένος. Σίδη δὲ πόλις τῆς Παμφιλίας, ἀφ' ἧς ὥρμητο καὶ Τρώϊλος ὁ σοφιστὴς, οὗ καὶ συγγενῆ ἑαυτὸν εἶναι ἐσεμνεύετο. Διάκονος δὲ ὢν τὰ πολλὰ τῷ ἐπισκόπῳ Ἰωάννῃ συνῆν. Ἐφιλοπόνει δὲ καὶ περὶ λόγους, καὶ πολλὰ καὶ παντοῖα βιβλία συνῆγε. Ζηλώσας δὲ τὸν Ἀσιανὸν τῶν λόγων χαρακτῆρα πολλὰ συνέγραφε, τάδε τοῦ βασιλέως Ἰουλιανοῦ βιβλία ἀνασκευάζων. Καὶ χριστιανικὴν ἱστορίαν συνέθηκεν, ἣν ἐν τριάκοντα ἓξ βιβλίοις διεῖλεν. Ἕκαστον δὲ βιβλίον ἔχει τόμους πολλοὺς, ὡς τοὺς πάντας ἐγγὺς εἶναι χιλίους. Ὑπόθεσις δὲ ἑκάστου τόμου ἰσάζει τῷ τόμῳ. Τὴν μὲν οὖν πραγματείαν ταύτην οὐκ ἐκκλησιαστικὴν ἱστορίαν, ἀλλὰ χριστιανικὴν, ἐπέγραψεν. Πολλὰς δὲ συνεισφέρει ὕλας εἰς αὐτὴν, δεικνύναι*

---

138) Libr. II. cap. 1. Libr. III. cap. 19.

139) Vossius De Hist. graecis libr. II. pag. 137.

140) Fragmentum eius de scholae catecheticae Alexandrinae praeceptoribus, e ms. codice Barocciano desumtum, extat in Gallandii Bibl. Patr. tom. IX. pag. 401. E quo fragmento quemvis facile deprehendere, Philippum, quod in eo recte notavit Socrates, temporis ordinisque rationem non multum curasse, annotat Cave Hist. litt. tom. I. pag. 395., qui aliorum etiam quorundam Philippi fragmentorum mentionem facit.

141) Libr. VII. cap. 27.

βουλόμενος μὴ ἀπείρως ἔχειν ἑαυτὸν τῶν φιλοσόφων παιδευμάτων. Διὸ καὶ συνεχῶς γεωμετρικῶν τε καὶ μουσικῶν καὶ ἀστρονομικῶν καὶ ἀριθμητικῶν θεωρημάτων ποιεῖται μνήμην, ἐκφράσεις τε λέγων νήσων, καὶ ὀρέων, καὶ δένδρων, καὶ ἄλλων τινῶν εὐτελῶν. Δι' ὧν καὶ χραύνην τὴν πραγματείαν εἰργάσατο, διὸ καὶ, ὡς νομίζω, ἀχρείαν αὐτὴν καὶ ἰδιώταις καὶ εὐπαιδεύτοις πεποίηκεν. Οἱ ἰδιῶται μὲν γὰρ τὸ κεκομψευμένον τῆς φράσεως ἰδεῖν οὐκ ἰσχύουσιν· οἱ δὲ εὐπαίδευτοι τῆς ταυτολογίας καταγινώσκουσιν. Ἀλλ' ἕκαστος μὲν περὶ τῶν βιβλίων, ὡς ἔχει γνώμης, κρινέτω, ἐγὼ δὲ ἐκεῖνό φημι, ὅτι τοὺς χρόνους τῆς ἱστορίας συγχέει. Μεμνήμενος γὰρ τῶν τοῦ αὐτοκράτορος Θεοδοσίου χρόνων, αὖθις ἐπὶ τοὺς Ἀθανασίου τοῦ ἐπισκόπου χρόνους ἀνέδραμεν. Καὶ τοῦτο ὡς πλεῖστον ποιεῖ. Porro Socrates enarrans Sisinnium, Philippo antepositum, episcopum Constantinopolis creatum esse, in fine antecedentis capitis haec addit: *Ἐπὶ τούτῳ Φίλιππος, ὁ πρεσβύτερος, ὅτι αὐτοῦ προεκρίθη ἕτερος, πολλὰ τῆς χειροτονίας καθήψατο ἐν τῇ πεπονημένῃ αὐτῷ χριστιανικῇ ἱστορίᾳ, διαβάλλων καὶ τὸν χειροτονηθέντα καὶ τοὺς χειροτονήσαντας, καὶ πολλῷ πλέον τοὺς λαϊκούς. Τοιαῦτα τε εἶπεν, οἷα οὐκ ἂν ἑλοίμην παραδοῦναι γραφῇ, ἐπεὶ κἀκεῖνον οὐκ ἀποδέχομαι τῆς προπετείας, τοιαῦτα γραφῇ παραδοῦναι τολμήσαντα.*

Cum de iis scriptoribus a nobis expositum sit, qui res in Ecclesia gestas in universum complexi sunt, ad eos iam accedamus, qui singulorum virorum vitas perscripserunt.

Georgii Laudatio Eusebii Emiseni.

Georgius, primum Alexandriae presbyter, postmodum Laodiceae episcopus Arianis unice favebat [142]). Quodnam huiusce li-

142) Vide Cave Hist. litt. tom. I. pag. 208.

bri fuerit argumentum, Socrates exponit capite nono libri secundi. Quod si cupis noscere, volvas quaeso Socratem. Nam ipsum locum apponere, longum foret. Quam vero illius laudationis Socrates habet reprehensionem [143]), ea utique adscribenda est, ut inde quantum fieri possit de illius indole iudices. Socrates de Eustathii Antiochiac episcopi, fidei Nicaenae fautoris strenui, depositione locutus ita pergit: *Ὅτι ὡς σαβαλλίζοντα καθείλον Εὐστάθιον, Κύρου τῆς Βεῤῥοίας ἐπισκόπου κατηγοροῦντος αὐτοῦ, Γεώργιος, ὁ Λαοδικείας τῆς ἐν Συρίᾳ ἐπίσκοπος, εἷς ὢν τῶν μισούντων τὸ ὁμοούσιον, ἐν τῷ ἐγκωμίῳ τῷ εἰς Εὐσέβιον τὸν Ἐμισηνὸν ἔγραψεν. Γεώργιος δὲ περὶ Εὐσταθίου γράφει οὐκ ἀληθῆ. Φάσκων γὰρ Εὐστάθιον ὑπὸ τοῦ Κύρου κατηγορεῖσθαι ὡς σαββελλίζοντα, αὖθις τὸν Κῦρον ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἁλόντα, καθῃρῆσθαι φησί. Καὶ πῶς οἷόν τε Κῦρον τὰ Σαβελλίου φρονοῦντα κατηγορεῖν Εὐσταθίου ὡς σαβελλίζοντος.*

Vitae Monachorum.

Antonii Vita ab Athanasio concinnata. De tempore, quo haec Vita ab Athanasio conscripta sit, Montfaucon tom. II. pag. 785. ita: Antonii vitam haud diu post Ioviani tempora editam opinamur, anno circiter 365., quo sedata persecutione Athanasius in pace Alexandriae morabatur. Rogantibus autem transmarinis monachis (et, ut veri simile videtur, Occidentalibus), ut testatur sub initium, illam composuit. Socrates libr. I cap. 21. Antonii vitam praetermittit exponere, quandoquidem hoc iam ab Athanasio factum sit. Sozomenus vero, qui libr. I. cap. 13. Antonii vitam adornat, hanc haud dubie ex Athanasii libro

---

[143]) Libr. I. cap. 24. Ex eadem laudatione hausit etiam Sozomenus libr. III. cap. 6.

excerpsit, non modo res verum etiam totas sententias transscribens, adiectis nonnullis, quae apud Athanasium haud leguntur. Ceterum uti omnes fere monachorum vitae, ita etiam haec Antonii vita visis, prodigiis, daemonum phantasiis et portentis, quae nullam prorsus fidem habent, oppleta est. Quae res in causa fuit, ut nonnulli hunc librum, utpote tanto viro indignum, Athanasio abiudicarent, quos tamen refellit Montfaucon. Propter eandem causam cum Antonii vita nobis indigna videretur, quam supra inter cetera Athanasii scripta referremus, eam huic reservavimus loco.

Evagrii Μοναχὸς, ἢ περὶ πρακτικῆς.[144]). Ex hoc libro duos locos transscribit Socrates libr. III. cap. 7. libr. IV. cap. 23. Eximium dicit hunc librum. Et profecto inter meliores libros, qui de vita solitaria scripti sunt, referendus esse videtur. Nam quilibet admirabitur ab Antonio responsum, quod ex isto libro Socrates allegavit, cuidam philosopho: *Πῶς διακαρτερεῖς*, interroganti, *ὦ πάτερ, τῆς ἐκ τῶν βιβλίων παραμυθίας ἐστερημένος*, illud inquam responsum: *Τὸ ἐμὸν βιβλίον, ὦ φιλόσοφε, ἡ φύσις τῶν γεγονότων ἐστὶ, καὶ πάρεστιν ὅτε βούλομαι τοὺς λόγους ἀναγινώσκειν τοὺς τοῦ θεοῦ.* Evagrius Ponticus quinam fuerit quaeque scripserit si cuius interest copiosius edoceri, is adeat Cave Hist. litt. tom. I. pag 275.

Palladii Historia Lausiaca. Palladius Galata paulo post obitum Valentis vixit, teste Socrate IV, 23., qui illum librum accuratiorem monachorum notitiam cupientibus valde commendat. Evagrio praeceptori in Aegyptum proficiscenti comitem sese

---

[144]) Cotelerius Monument. eccl. gr. tom. 3.

adiunxit, sicuti ipse narrat in illa historia cap. 12. Lausiacam historiam vitas monachorum inscripsit, quoniam eas Lauso praefecto dedicavit. Graece illam Historiam edidit Io. Meursius atque latine De la Barre Historia Christiana veterum patrum pag. 56. sqq.

Timothei, Alexandriae episcopi, Vitas monachorum, quae perierunt, citat Sozomenus VI, 29. Eum Palladii fuisse aequalem ait Vossius De scriptoribus graecis libr. II. pag. 136.

De Iuliani monachi Vita, quam conscripsit Ephraem Syrus, et Sozomenus III, 14. laudat, itemque Nicephorus Callistus IX, 15. vide Asseman. Bibl. orient. tom. I. pag. 154.

Praeterea, ut omnia, quae huc spectant, afferamus, Sozomenus II, 14. de persecutione Christianorum in Perside locutus auctores affert Persas, Syros et Edessenos. Sed quinam illi fuerint, et quosnam scripserint libros accuratius non dicit. Cf. *Schröckh Christl. Kirchengeschichte Th.* 6. *S.* 48.

Restat, ut de politicae historiae fontibus pauca addamus. Quanquam enim historiam sacram nostri auctores perscriberent, fieri tamen non potuit, quin politicam quoque historiam attingerent. Nam imperatores historiae ecclesiasticae intexendi erant, primum ut haberent, quibus res in Ecclesia gestas commode annecterent, tum vero etiam, uti hac de re rationem reddit Socrates in exordio libri quinti, quoniam penes imperatores, ex quo religionem Christianam acceperant, summa rerum ecclesiasticarum gubernatio erat. Tum bellorum quoque, quae rebus ecclesiasticis implicita erant, mentio iniicienda erat, quod item

Socrates excusat loco laudato. Sed hisce rebus, utpote a consilio suo remotioribus, haud magnam operam navarunt auctores nostri. Ideoque eas ex traditionibus hominum potissimum hauserunt. Socrates l. l. dicit: *Τὰ μὲν ἐπὶ Κωνσταντίνου περὶ τοὺς πολέμους γενόμενα διὰ χρόνου μῆκος εὑρεῖν οὐκ ἰσχύσαμεν, τῶν δὲ μετὰ ταῦτα, ὅσα παρὰ τῶν ἔτι ζώντων ἐμάθομεν, ἐν παραδρομῇ ποιούμεθα μνήμην.* A Socrate III, 21. commemoratur *Callistus*, qui inter protectores Iuliani militabat, illiusque res gestas heroico carmine conscripsit. Valesius in annott. ad h. l. addit: „Hic est Callistus, ni fallor, quem Libanius in epistola 120. libr. IV. Callistionem appellat, amicum Sallustii praefecti praetorio. Nam poetam eum fuisse Libanius quoque illic testatur, perinde ac Socrates." Porro *Libanii oratio in mortem Iuliani* citatur a Socrate III, 23. atque Sozomeno VI, 1. Sed neuter Libanium citavit, ut ex eo hauriret, sed potius ut eum refelleret. Nam res Iuliani aliter a Christianis aliter a gentilibus auctoribus tradi, vix opus est quod moneamus. Ipsam orationem habes in editione Reiskii tom I. pag. 229. sqq. *Themistii orationem de consulatu Ioviani* allegat Socrates III, 25. et Sozomenus VI, 36. De *Eusebii Scholastici denique atque Ammonii carminibus, bellum cum Gaina, rege Gothorum, gestum canentibus*, haec habet Socrates VI, 6: *Εἴ τῳ φίλον ἀκριβῶς μαθεῖν τὰ ἐν ἐκείνῳ τῷ πολέμῳ γεγενημένα, ἐντυγχανέτω τῇ Γαϊνίᾳ τοῦ Εὐσεβίου τοῦ σχολαστικοῦ, ὃς ἐφοίτα μὲν τηνικαῦτα παρὰ Τρωΐλῳ, τῷ σοφιστῇ. Αὐτόπτης δὲ τοῦ πολέμου γενόμενος ἐν τέσσαρσι βιβλίοις ἡρωϊκῷ μέτρῳ τὰ γενόμενα διηγήσατο. Καὶ προσφάτων ὄντων τῶν πραγμάτων, σφόδρα ἐπὶ τοῖς ποιήμασιν ἐθαυμάσθη. Καὶ νῦν δὲ ὁ ποιητὴς Ἀμμώνιος τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν ῥαψῳδήσας ἐν τῇ ἑξκαιδεκάτῃ ὑπατείᾳ τοῦ νέου Θεοδοσίου, ἣν ἅμα Φαύστῳ ἐπετέλει, ἐπὶ τοῦ αὐτοκράτορος ἐπιδειξάμενος λαμπρῶς εὐδοκίμησε.* Cf. Vossius De Hist. gr. libr IV. pag. 213.

Quibus absolutis quam multa sive prorsus intacta, hunc campum iam primum ingressus, tanquam peregrinus praetergressus sim, sive leviter admodum tacta reliquerim, bene sentio. Neque tamen me poenitet, menses, qui concedebantur, huic commentationi dedisse, dummodo ad historiam Christianae ecclesiae collustrandam, quantulum id cunque sit, contulerim. Nam cum ex nulla alia re Christianae religionis divinitas probetur luculentius, quam ex historia, ex eo, quod tantam vitae sanctitatem tantaque miseriarum solatia hominibus praebuit, quodque, licet a tot acerbissimis adversariis quassata, inconcussa etiamnum stat, nos oportet anniti ad veritatem historiae ecclesiasticae, multifariis corruptelis obscuratam, illustrandam, quo divinae nostrae religionis redeat prisca auctoritas priscumque momentum.

CORRIGENDA.

pag. 7 lin. 3 pro *poterunt* lege *poterit*.
— 10 nota 10 post Cave Hist. litter. adde *tom. I.*
— 11 — 15 lin. 11 pro *τοιοῦτα* lege *τοιαῦτα*.
— 22 lin. 6 pro *seorsim* lege *seorsum*.
— 35 — 12 — *tractantibu* lege *tractantibus*.
— 38 — paenult. pro *Μεμνήσομα* lege *Μεμνήσομαι*.
— 70 — ult. pro *Ῥουφίνον* lege *Ῥουφίνου*.
— 86 nota 126 pro *Cave Hist. tom. I. litt.* lege *Cave Hist. litt. tom. I.*